



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Ars Semper Gaudendi**

Demonstrata Ex Sola Consideratione Divinae Providentiae Et Per  
Adventuales Conciones

**Sarasa, Alfonsus Antonius de**

**Antverpiae, 1664**

Pars II. Respondetur dubiis quae Diuinae Providentiae solent opponi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13517**

## P A R S II.

*Respondetur dubiis quæ Diuina Prouidentia  
solent opponi.*

## TRACTATUS VI.

Vniuersa propter semetipsum operatus est Do-  
minus ; impium quoque ad diem malum.  
*Prou. 16.*

*Optimè à Deo permitti peccata in hoc mundo, demon-  
stratur: ac propterea neminem iis turbari debere.*

## P R O O E M I V M.



Actenus Diuinæ Sapientiæ inscrutabiles abyffos  
contemplati fumus ; non eâ quidem fiduciâ  
quod speraremus illam mente posse complecti,  
fed vt ingentem opinionem quâ tantopere in-  
digemus, de magnâ Dei Mente concipientes,  
eius tandem Prouidentia acquiescamus. Iam  
verò cum id etiam viderimus, infinitam illam neces-  
sariam planè fuisse huic orbi rectè dirigendo, duo imprimis sta-  
tui ; primò, nihil prorsus casu accidere ; deinde, capaces non  
esse nos qui de rerum euentibus iudicemus ; ac proinde id so-  
lùm nobis relinqui, vt rectè & quidem optimè omnia contingere  
statuamus. Hoc verò cum iam animo fixum omnino sit,  
certè, vt ante me dixisse memini, plurimæ posthâc rationes oc-  
current, quibus vt Epictetus aiebat, facilè *in omnibus Deum apud*  
*homines defendam*, detergamque querimonias omnes, quibus non  
rectè de Diuinâ Prouidentia sentientes, fucum faciunt, verita-  
tique

apud Ar-  
rian. l. 1.  
c. 16.

rique tenebras conantur aspergere. Ac imprimis illud quasi capitale occurrit, Dei Prouidentia si regerentur cuncta, certè non permittenda scelera, quibus & Dei gloria multum detrahitur, & mundus concutitur vniuersus. Hæc petra scandali, iis quibus statutum est ruere, seseque præcipitare. Verùm occurrere eis placet: Diuinitatisque acturus causam, ostendam imprimis, vltimum finem quem Deus in omnibus suis spectat actionibus, esse suam Gloriam, seu Diuinitatis suæ manifestationem. Vnde secundum liquidò elucescet: nimirum optimâ ratione ductum, scelera quantumuis grauiâ permisisse, nullâque in re, Prouidentia suâ mirabilem artem præclarius ostendisse, quàm cum per ipsa scelera, gloria suæ, imò & hominum commodis, maximâ adiicit incrementa.

## §. I.

*Inculcatur iterum, omnia à Deo bene fieri, nosque capaces non esse, qui de rerum euentibus iudicemus, aut quidquam statuamus.*

- I. **M**Aneat igitur illud fixum ratumque fundamentum, cui totam mentis nostræ, cogitationum, iudiciorumque machinam, tranquilla vt sit, incumbere necesse est: *Primò* quidem, nihil prorsus in totâ naturæ rerumque serie agi, quod non Deo destinante & dirigente agatur. Idque non temerè & prout casus fert, sed post infinita studia, omnibusque rectè expensis & perperis eum statuisse, quidquid mihi aliisque obuenit: eaque eò quò obueniunt tempore, eò locò, per eas ipsas personas accidere, mihi naturæque longè fuisse conducibilius. Quod quidem idcirco speciatim dico, quòd videam, cum rem ipsam quæ nobis accidit incusare non audemus, ne Diuinæ videamur refragari voluntati, tum verò modum circumstantiasque arrodere. Sicque conquerimur passim, petimusque; an tum omnino necessaria esset pluuia cum iter adornabamus? an tum omnino ægrotandum, cum religionis opera agitabamus animo? an tum morte dissoluendum matrimonium, cum res domesticæ prosperè incipiebant fluere? an tum vitæ fila incidenda filio, postquam plurimâ

*Omnia  
quæ eue-  
niunt, bene  
euenire, &  
bono mo-  
do, iudicā-  
dum est.*

rimâ educatus curâ & ære, in spem matris adeptâ surgebat dignitate: bella hæc differri an non poterant? aduersitatesque quas patimur, an non ab alijs, quàm ab his qui eas inferunt, poterant immitti? Infinitæ sunt eiusmodi nostrum omnium querimonia: de modò querimur, vbi rem ipsam improbare penitus non audemus.

*Quisquis  
si persua-  
deat nõ esse  
capacis,  
qui iudicet  
quid sit  
melius ne-  
que repu-  
publicæ,*

Ad hæc non aliud habeo quod reponam, quàm quòd sine circumstantijs, euentum ipsum non disposuerit Deus, neque circumstantias sine euentu. Rationes omnium perspectas qui habuerit, erit impofterum mihi Deus. Illud scio, à Diuinâ Mente in hunc ordinem cuncta non casu, sed summâ industriâ fuisse digestâ; cumque morbum, eam tempestatem, illud bellum, eam iniuriam, id genus mortis & non aliud, hoc tempore & non futuro quocumque, per hos homines & non per alium vllum mihi superuenire, fuisse conuenientius, & mihi naturæ, & me naturamque dirigenti Deo. Hoc fixum, hoc ratum sit. Hic sto, hic quiesco.

*Alterum* quò proiectam in diuinis consilijs diiudicandis petulantiam, audacemque temeritatem penitus frænem, imò infringam, est stupor imbecillitasque mentis meæ, tam cœcè in sententiam ferendam profilientis: cum nihil tam clarum sit, quàm quid sit modò melius, quid conuenientius determinare, nobis neque generatim, neque etiam speciatim esse possibile. Dic sodes, generatim naturæ quid sit melius, hodie pluere an non pluere? ventos & quidem hos, & quidem hæc vehementiâ spirare, an quiescere? quis hic loqui audeat, nisi cui tota natura penitus est perspecta, omniumque camporum animaliumque nota & expensa est necessitas? Quid conuenientius sit, morbis vexari ciuitates, bellis Rempublicam, cuius est id diiudicare, nisi cui id etiam notum est, qui demum morbos bellaque consequentur casus, & quidem longâ euentuum serie? nam morbos pestesque, plurima ciuitatibus bona consecuta sunt; multa etiam per bella in Rempublicam inuecta sunt commoda, quibus iam in pace, ad quam tamen tantopere anhelabant, sese carere, Belgæ cum hæc scribimus confitentur, & nonnulli etiam deplorant. Sic pax nonnunquam peior bello est; & victoriæ ingentes, victores ipsos sapissimè euerterunt.

Quid igitur tantopere clamamus? quid conquerimur? quid statuimus,

statuimus, quid decernimus miseri homunciones, quorum consilia tam aut nulla sunt, aut infirma? Certè vt rectissime monet Sapiens, *Cogitationes mortalium timide, & incerte providentiæ nostræ*. Vis scire cur timidæ? quia in tenebris sumus. Sicque nobis accidit, id quod concubiâ nocte in conclavi sibi ignoto, sine lumine ambulanti; omnia timet quia ignorat omnia; etiam tuta timet, quia nescit vbi figat pedem; & vt fixerit, nescit quid porrò deinceps sit. Ita nobiscum agitur, ne quidem harum, quibus inhaeremus, rerum circumstantias omnes perspicimus; quid deinde futurum sit ignoramus planè; timidæ igitur vt sint cogitationes hominum necesse est, *neque firmæ conceptiones eorum* vt habet Syriaca expositio. Non habemus vbi pedem figamus lapsus securi; idcirco, vt fert textus Arabicus, *Cogitationes mortalium sunt timores*, quidquid enim agis, semper de rei euentu timendum est. Amens sit certè, qui ignoto loco, in tenebris constitutus, sine duce, pro suo libitu quaquaerfus eum tulerit impetus, ferri vult; & tum fortè prolapsus, de ruinâ tamquam de iniuriâ sibi illatâ, apud obuios quosque conqueratur. Amentior, qui ducis omnia præscientis præcipitia, oblatam manum ferox auersatur, eamue cæcus planè suo nihilominus vult arbitrio moderari. Cæcus es, ô homo, qui cuncta diiudicare vis; præteritorum immemor, præsentium ignarus, futurorum ignorans; & tu iudicium de rebus fers, nec erubescis? stupidum te agnoscis, mentis lumine te captum scis, & necdum files? naturæ directori Sapientissimo, consiliorum omnium arbitro acutissimo audes obstrepere? Amens & ipse sim, si de hâc re pluribus tecum agam.

5. Verùm si tuis te in rebus, domesticâque familiâ contemplandâ acutiorem putas, tibi que saltem quid magis congruat arbitraris videre te; ad vnicum hoc quod modò interrogo responde, & eris mihi magnus Apollo. Filium hunc quem tanto studio enutris, aspice. Aspexisti? dic modò, vtrum conuenientius iudicas & magis è re tuâ, eum tibi superiuere, an à te mortuum efferi? quid hæres, quid stas? quin quod iudicas planè eloqueris? verùm quid isthæc te interrogo, quem iudicium sanum ferre non posse, certò scio? quis enim id rectè feret, nisi qui præsciat, futura filij, latura quid sit dies? verum id quidem est, valet ingenio, manu est promptus, valetudine admodum firmâ

T

est;

neque domestica & priuata

est; matrī iam seni poterit esse solatio, & verò etiam adiumento. Fateor, sic est, poterit: at quid facturus sit, quis id scit? Quàm multos vidimus ingratiſſimos filios, immemores à quibus vitam hauserint, vitæ auctoris interitum accelerasse? & pro his ipsis, cum in infantia ægrotarent, vota fecistis miseri iam parentes; pro his Deo, Diuisque supplices, preces anathemataque deuouistis: nihil non actum, ut barbarus hic vitam protraheret. En uiuit, uti uouistis; uiuit, sed in paternos maternosque luctus. Baculum hunc esse volebatis senectutis vestræ; baculus nunc est, baculum experimini; non quidem cui innitami, sed cuius immanes ictus, verum impios perferatis. Quis modo uobis est sensus? quod iudicium? cur tantopere pro tam immani vitâ estis deprecati? Nihil sane aliud proferre potestis, quàm obuium illud, Euenire hoc posse non credideram.

*Hinc acquiescendū est rerum euentibus, quos impedire non est in manu tuā.*

Hoc tantum ut fatearis uolo, quisquis tibi uideris sapere; sapias id si agnoueris, *Incertas esse providentias nostras.* Diudicare dum uolumus quid sit conuenientius, nihil iudicio, coniecturis agimus omnia, Proinde nihil à fundamento cui innitor dimotus, securus mei pronuntio, omnia conuenientius fieri quæ fiunt modò, quàm quæ melius fieri posse, possem suspicari. Proinde cum iam fruamur pace, quantumcumque multis sit incommoda, dico conducibilius esse iam carere bellis, pacisque bonis utcumque frui; cras si bellum ingruat, cras bellum præferam. Cum serenum erit cælum, illud præ pluuio approbabo; cum uerò Iupiter maduerit, madere debuisse clarè dicam. Dum spiro, dum uitā traho, eam mihi præoptabo; cum mors ingruerit, eam vitæ anteponam. Quâ tandem inductus ratione? unicâ hâc, quia omnibus rectè appensis, trutinatis, & expensis, tandem sic uisum Deo, qui uidet omnia. Hic non cæcutio, clarè id sic esse planeque perspicio. Ceterum in rationibus sigillatim examinandis cæcus sum, fateor: sed ducentem sequor, & quidem non cæcum Deum.

Hæc strictim dixi, sigillatim expositurus omnia. Id tamen iam generatim dicendum est, omnia ea quæ in manu nostrâ non est auertere, aut impedire, conuenientius esse ut nobis accidant. Nam impediri mortem (exempli causâ) à me non posse, id inde fit quòd Deus circumstantias omnes instrumentaque ita pro tempore, loco, & personarum conditionibus, disposuerit, ut euitari

rari non possit euentus ille, quem suis rebus, hoc est, vniuersitatis administrationi rectæ, iudicauerat expedire. Euentus itaque iste à Deo est : & hoc satis est vt acquiescam.

## §. II.

*Vt autem plenè acquiescamus, iudicemusque omnia optimè fieri, ostenditur quod finis vltimus omnium actionum Dei, sit eius gloria. Hinc desumitur noua praxis gaudendi in rebus prosperis, quæ & aduersis conuenit.*

8. **A**lterum tranquillitatis fundamentum, quodque adhuc vacillanti, dubitantiq; an conuenientissimo modo Deus exequatur omnia, planè satisfaciet; est, id sibi habere præstitutum; Finem vltimum quem sibi præfixit Deus, nullum alium esse, quàm Diuinitatis suæ honorem & Gloriam; quæ quidem in eo primò est posita, vt creaturas ratione præditas in æternæ salutis portum inducat: Deinde vt conuenienter totam hanc mundi machinam, quâ tanquam naui ferimur, in hunc finem dirigat prouidus Deus. Certè negare non possumus totam hanc cælorum, elementorumque molem humanis planè vsibus subseruire; neque adeo esse vt sint, quàm vt homini, secundum naturæ suæ necessitatem, bene sit. Non autem Deus vult homini, vt ei à creaturis cæteris bene sit, nisi quia præ cæteris omnibus, meliùs vult vt sit homini, non autem melius esset homini, nisi ad altiora destinatus foret homo à Creatore Deo. Si enim aliud futurus non est, quàm quòd nunc naturâ est, melius certè homini præ cæteris creaturis non erit, quæ & hoc quoque naturâ sunt, quod sunt. Verùm altiorem tibi, ô homo, dignitatem prouidit Deus: ad cælum duceris ô Natura, supra Naturam prouehenda; hoc tantum felix nomine, isthuc quòd duceris.

9. Ad hoc omnia collinant Dei studia; ad hoc orbium cælestium globos, ad hoc Solem, ad hoc terram, elementaque omnia conseruat, fouet & gubernat; non vt illa sint, sed vt tibi sint, tibi que seruiant. Sic nauclerus instrumentis suis inuigilat, nauis curam gerit, oblinat, firmatque, vela construit, expandit, ventos captat,

*Omnia  
Deus pro-  
per homi-  
nem, homi-  
nem verò  
fecit pro-  
pter gloriâ  
suam.*

captat, gubernaculum tenet manu; non vt gubernaculo, naui, velisue bene sit, non quod ventis palcatur aut delectetur; sed quod vectorum, viatorumque bonum adamer, eosque in portum statuatur inducere saluos & incolumes. Ita prorsus dicendum est; Deum totam hanc machinam curare, omnes rerum omnium vicissitudines obseruare, discutere, ordinare, tantum te o Mortalis in felicissimam illam patriam vt inducat; isthic a te summo suo gaudio, tuaque felicitate etiam summâ, totâ deinceps æternitate vt audiat magnificum illud, *Benedictio & claritas, Apoc. 7. & sapientia, & gratiarum actio, honor, & virtus, & fortitudo Deo nostro, in secula seculorum. Amen.*

O admirabilem & nullis vocibus explicandam bonitatem & misericordiam! nescio sanè an non dicere debeam, nimis facilem tanti Numinis humanitatem! Humanus certè nimium est, etiam antequam homo factus sit Deus, humanus adeo vt homo factus fuerit, tantum vt homo fieret dignus Deo. Verum quid id Dei intererat, ab homine miserrimo laudari eum, quem *Astra* Iob 38. *laudant matutina*, hoc est, Angeli in ipso mundi exordio pro Deo suo stantes, Numini semper grati quia felices, & felices quia grati? imò quid Dei magis intererat ab homine salutari, quam a minimo qui inter Arabiae deserta ignotus repit, angue aut vermiculo? Hic sanè vela contraho; vocem comprimo, & misericordiam generi humano præstitam quam non capio, supplex tacitusque adoro. Ita tamen est: Gloriam suam quærit Diuinum Numen: nam vt disertè Deus ipse apud Salomonem faretur *Prou. 16.* *niuersa propter semetipsum operatus est Dominus* adeo vt, quantum video, circulum faciant Deus, creaturæ cæteræ, & homo. A Deo namque prodire veluti e fonte creaturæ omnes, idque vt hominum commodis inseruient; homini autem præstitum est, vt laud Deum illò fructurus redeat; & hoc modo per hominem cæteræ creaturæ, saltem per obsequium homini præstitum, ad omni boni fontem Deum reuertuntur. Verum quò me tandem auexit materiz suauitas?

Illud iam ago, illud vrgo. Quòd si omnia ad gloriæ suæ manifestationem referat Deus, gloriæque suæ sit prorsus auidissimus, quâ quæso ratione credam ego, non eum optimè, agere vniuersa; hoc est, eò modò qui ad gloriæ suam prouehendam maxime conducatur? Homines gloriæ cupidè, quòd non semper emoliantur

igitur rursus  
acquis-  
scendum est  
omnibus  
uentibus  
qui à Deo  
sunt, gloriæ



moliantur quæ maximè sunt honorifica ; id quidem est , quia non sciunt semper quid sit honestius, neque quæ sciunt, semper volunt, neque quæ volunt, semper possunt in rem deducere. At verò Deum video & scire, & velle semper, id quod honestius, id quod decentius, id quod famæ suæ est conducibilis. Et enim

Psal. 134. potest quidquid vult, *omnia namque quæcumque voluit fecit in celo & in terrâ.* Quid igitur hæreo ? quin id statuo, omnia optimò à Deo facta fuisse modò, eòque qui Dei Sapientiam famamque maximè proclamaret ?

12. Certè æquè facile est Deo serenare cælum quam nubibus obducere ; æquè facile pace totum orbem moderari, quàm bellis infestare ; æquè facile diuitias mihi tribuere, quàm premere paupertate ; eodem stat opere morbis corpus meum affligere, quò valetudinem conseruare ; neque vt me in viuis retineat magis laborandum est Deo, quàm vt è viuorum numero expungat. Cur igitur id iam facit Deus ? certè quia modò mors, modò vita, modò valetudo, modò infirmitas, modò bellum, modò pax, modò serena aura, modò pluuia honori eius propagando prouehendoque, sine villo dubio est conducibilior. Dubium autem omne tollit quòd sciam *Vniuersa propter semetipsum,* hoc est, propter gloriæ suæ manifestationem *operatum esse Dominum.* Manifestatio autem ista plena atque perfecta, tunc fiet, cum non in enigmate, sed facie ad faciem sapientissimam illam Mentem, eiusque consilia dabitur intueri.

13. At inquires, culpâ meâ stupiditateque propriâ mihi euenere plurima, quæ facile fuisset euitare : culpâ meâ pauper sum, culpâ meâ in morbum incidi. Ita sanè sit ; sed vt verbo vnico faciam satis, id scias, illam ipsam quoque quam agnoscis culpam, instrumentum fuisse Deo, quo te bonis tuis exueret, te verò infirmitate hæc opprimeret, quam eò tempore tibi iudicauerat expedire, suæque gloriæ promouendæ maximè conducere.

14. Atque hinc quidem pulcherrima sese praxis ratioque aperit, quâ tam in aduersis, quàm in prosperis gaudere quis possit solide, sibi gratulari. Arrideant sanè prospera, per me licet ; sed si verò solidòque gaudiò vis repleti, arrideant non adeò, quòd ex voto tibi fluant omnia ; placeant diuitiæ, non adeò, quòd tibi commodæ ; placeat valetudo, non adeò, quòd naturæ grata ;

Hinc ducitur  
praxis quâ  
in prosperis  
solidè  
gaudentur.

placeant dignitates, non adeò, quòd clarum te faciant omnibusque conspicuum; quàm quòd istis te bonis affluere Deo visum fuerit; adeoque te vsus fuerit tanquam instrumento, quò liberalitatem suam, diuitiasque demonstraret; te esse per quem suam pulchritudinem, industriam, mentis aciem, misericordiam, cæterasque perfectiones in suâ Diuinitate latentes quasi excudit, prælo exprimit, & tandem manifestam in lucem dat. Nam vt proximo Tractatu dicebamus *Ipse dixit & facta sunt.* Prout te Psal. 11.

*Quaque  
Et in ad-  
uersis gau-  
diâ mentis  
continua-  
bit.*

Gratulare igitur tibi, non quòd ex voto tuo sis id quod es, sed quòd Dei arbitrio orique sis conformis; qui quidem hoc iam sibi gloriosum esse censuit, suauem, commodam, pulchramque per te, tanquam oris Diuini sobolem, vocem efformare. Et hæc sanè non vulgaris aut è naturâ petita gaudendi ratio est; Diuina est, supernaturalis est, ideoque firma & inconcussa. Si enim cum diuitijs abundas, ideo tantùm gaudes, commodè quòd sit tibi; certè paupertas cum ingruerit, mutata erit gaudendi ratio, adeoque & mutanda est animi affectio. At verò si hoc tibi placuerit, quòd pro suâ voluntate & arbitrio vocem, quàm voluit, per te Deus efformarit; sanè tum cum è dignitate quam obtinuisti, in minorem fueris redactus ordinem, cum diuitijs exutus, cum valetudine tentatâ conciderit pulchritudo corporis, gratiusque vigor emarcuerit, illico dices, Ah! mutata est vox Dei: rudior est modò, dimissior & asperior. Ita sit, tamen Vox eius est, *Ipse dixit, & factus sum id quod sum.* Certè non minus fistula, si ratione prædita sit, gaudeat, in altos si infletur tonos, quàm si in demissos; neque si in epitalamicos adhibeatur modulos, quàm si in lugubres lessos efformetur. Idem est os artificis quod applicatur, idem anhelitus qui inspirat tonum, eumque qui placuerit artifici, quemque nomini tuo & honori, pro variâ opportunitate locorum & temporum, magis iudicauerit expedire.

*Instrumentum te crede, per quod Deus suam gloriâ manifestat.*

Sic prorsus nobis agendum est, si semper gaudere optamus. Non id spectandum est quod sumus, sed per quem. Adeoque congratulandum nobis etiam in asperis, etiam in duris, etiam in humilibus, quòd simus instrumentum gloriæ Dei, hoc est, per quòd voluntatem suam mundo manifestat. Igitur in omnibus sit nomen Domini benedictum ex hoc nunc vsque in sæculum. 16. Psal. 111.  
men

men Domini, hoc est, fama Dei & gloria Dei euulgetur totò profus Vniuersò; *ex hoc nunc* id est, ab hòc quò nunc premor morbò, ab hâc quâ nunc premor calamitate, in omnem retro æternitatem. Ah! quanto solatio id fuerit, id si quis secum perpendat, instrumentum sese esse, quò gloriam suam Deus faciat manifestam! & quamuis modò leniter, modò asperè, modò lætè, modò lugubriter, modò clarè, modò obscurè, modò altè, modò dimisè inflat; semper tamen modulatur, prout gloriæ suæ declarandæ maximè sciuit conuenire.

17. Atque inde mentis nostræ quies turbatur, quod finem hunc, quem sibi Deus proposuit, non agnoscimus, sed potiùs interuertimus. Eodem in opere spectat Deus gloriam suam, tu commodum tuum, tu gloriam tuam, tu dignitatem tuam; omnia adèò ad proprios, tibi quæ à te ipso præscriptos fines deriuantur. Ergo quid mirùm si turbentur omnia? in alia profus abitis, Tu & Deus, in diuersa funem trahitis. *Quis autem restitit ei, & pacem habuit?* quis vector pacem habuit qui nauclerum non sequitur, aliumque quam ipse atque aliò trahit funem? certè pacem habiturus es nunquam, nisi hoc tibi placuerit, quod summo machinæ totius placuit Magistro. Commodò tuo studet, sic tamen vt non negligat gloriam suam. Vtrum tu præferendum iudicas? An non bona, sancta, & iusta est Dei voluntas, nisi quando tibi fuerit commoda & iucunda? aut tu vis Deum velle, sibi id honori vt ducat, quod tibi maximè est commodum? Audi Augustinum, *Voluntas Dei est aliquando vt sanus sis, aliquando vt egrotas; si quando sanus es, dulcis est voluntas Dei, quando autem egrotas, amara; non es recto corde, quia non vis voluntatem tuam ad Dei dirigere voluntatem, sed contra.* Quod sanè profus est absurdum. Sanctissimæ autem Voluntati Dei si tuam interponis, imò & opponis, iam non te finem à Deo sibi præstitutum, sed propria nescio quæ emolumenta sectari, manifestum est. Illud enim indubitatum est, vltimum & quò tandem diriguntur omnia, esse manifestationem Gloriæ Dei.

*Neque tu  
modò ma-  
nifestauit  
gloriæ Deo  
præscribe.*

Aug in  
psal 35.

## §. III.

*Hinc ostenditur, bene à Deo peccata permitti. Primò quidem quia gloriosius Deo; à creaturâ libero arbitrio pradiâ, liberè, quàm ab aliis necessitate sibi obediri.*

*Obicitur multa mala esse in mundo & præsertim peccata, quæ non sunt ex gloriâ Dei.*

**H**Æc si ita prorsus sint, inquires, gloriosumque se in omnibus præbere desideret Magnus Deus, cur igitur tanta mala orbem hunc occupant? an hoc directori omnium potest esse honorificum? morbos, venena, rerum interitus, certè mala videntur esse, aut saltem non adeò bona, ut quis de iis à se inuectis gloriari meritò possit, neque verò in cælestem patriam ea admittentur, quòd saltem non sint bona. Adde; quis rectè administrari iudicet hanc Rempublicam, in quâ pessimo cuique ad summas dignitates, diuitiasque pateat via, probis occludatur? cur illi diuites qui diuitiis sunt abusuri; hi egeni, quibus pecuniæ, virtutis liberalitatisque futura esset materia? Denique si gloriam suam spectat Deus, sanè gloriosum non est, passim imperia eius excuti, pessumdari, violari; nisi quis etiam dicere voluerit, homicidia, adulteria, blasphemias, idololatriam, veneficia, atque his peiora, ad gloriam illius conducere, qui nullò negotiò tanta scelera poterat euitare. id si ita sit, melius certè est peccata esse, quàm non esse; atque adeò non peccat qui peccat, facit enim id, quod esse melius est.

*Ostenditur melius fuisse ad manifestationem Gloriam Dei permitti peccata.*

Multa hinc simul congeruntur, quæ paulatim enodabimus. Ultimum nunc, quodque Diuinæ Prouidentię ofores maximè semper vrgent, iam aggredior. Et ut responsio sit manifestior, illud iam moneo, longè aliam esse quæstionem, meliusne sit, in rerum naturâ esse scelera aut non esse, aliam verò, meliusne sit permitti scelera nec impediri, an neutiquam permitti. Certum id est, melius fore Vniuerso, si nulla fuerint omnino peccata, nec quidquam quod æternæ legi obstrepat; at verò id etiam certum esse aio, melius æterno legislatori fuisse, peccata permittere, nec omnimodis cauisse, ne legi suæ contrauenire quisquam posset. Hoc quidem sic fiet manifestum.

*Ratio prima est quia*

Primò enim, ad Gloriam Dei conducibilius fuisse aio, creaturam

turam aliquam inter corporeas (puta hominem producere, quæ libero prædita arbitrio, posset agere quod præcipitur vel non agere, obedire Deo, aut si vellet imperia detrectare: ac proinde quæ peccare si vellet, posset; posset nihilominus etiam non peccare. Hoc si planum fecero, etiam gloriosius esse Deo peccata permitti, fiet illico manifestum. Iam verò, non id ex eo probo capite, quòd longè oprabilius sit homini ipsi, libero præditum esse arbitrio, ac proinde peccare posse, quàm si omnis peccandi facultas ei prorsus fuisset adempta. benefaciendi namque necessitas, & malè agere non posse, vt summum, feliciorem fortasse fecisset hominem, meliorem autem nullo modo, nec verò etiam meriti alicuius laudisque capacem. Nulla enim laus ex eo promanat opere, quod necessitas exprimit: neque quidquam honoris præmiuè meretur Sol, quantumcumque magnis quos exhaurit quotidie laboribus; quia quod agit, sic agit, vt id non agere minimè possit. itaque nihil laboribus illis debetur; non enim tam agit quàm agitur. Laude verò tantum dignus est is, *Qui potuit transgredi & non est transgressus, facere mala & non fecit. Quis est hic & laudabimus eum; fecit enim mirabilia in vitâ suâ;* vt apud omnes in comperto est. Melius itaque homini est posse peccare & non peccare, quàm tantummodo peccare non posse. Verùm, cum iam non quid homini melius sit, sed quid Deo ipsi gloriosius sit spectem, hanc in alium locum differo disputationem. Istud iam agendum est.

*gloriosus est Deo, obsequium ei præstitum à creaturâ quæ libero arbitrio, quàm quæ necessitate ei inservit.*

Eccl 31.

21.

Nemo certè id mihi negauerit, multo gloriosius esse, Principem obsequio suo libero homines habere addictos, qui sponte suâ, Principique placendi studiò eum comitentur, eius imperia nutusque excipiant, quàm si non nisi mancipiis stipatus in publicum prodeat, iisque adhuc ferro colligatis, ne si Principis latera nolint claudere, obsequium tamen debitum detrectare non possint. Atqui mancipia quæ suos nutus, non voluntate, sed necessitate obseruarent, habebat Deus infinita; omnes videlicet ratione carentes creaturas. Sic sanè Sol, Luna, Cælorum Terræque orbes *Faciunt verbum eius, fateor,* sed necessitate compellente faciunt. Ab eiusmodi ergo mancipiis satis superque prospectum cum esset Diuinæ aulæ, an non id etiam Maiestati tantæ debebatur, vt eos haberet subditos, qui sibi sponte suâ voluntariè se suaque subiicerent? Ita planè. Quod si id est, iam certè

est euidens, honestius longè Deo fuisse Angelos, hominesque creari liberò prorsus præditos arbitriò, quique se Deo subdere si vellent, possent, possent etiam nolle se subdere. horum enim obsequium liberum cum sit, longè ei cui præstatur, est honestius, quàm quòd ab inuito per vim, aut etiam necessitate à ratione carentibus creaturis exprimitur.

Alterum est, quòd præclare virget Augustinus his verbis. *Qui- bus autem videtur sic hominem fieri debuisse ut peccare nollet, non eis displiceat sic esse factum, ut non posset peccare si nollet. Numquid enim si melior esset, qui non posset peccare, ideo non bene factus est, qui posset & non peccare? Aut verò usque adeo desipiendum est, ut homo videat melius aliquid fieri debuisse, & hoc Deum vidisse non putet: aut putet vidisse, & hoc Deum facere noluisse: aut voluisse quidem, sed minimè potuisse? Auertat hoc Deus à cordibus piorum.* Expendenda hinc verò sunt ea Augustini verba *Qui posset & non peccare.* Si enim sic creatus homo esset, ut non posset non peccare, procul dubio peccata commissa non homini, sed hominis conditori verterentur vitio & dedecori. Iam verò ab eo perpetrantur, qui cum peccat, *possit & non peccare:* id sanè non ex Dei mente fit, sed ex peruersitate eius, qui licet malè, liberè tamen prò suo peccat arbitrio. talem verò condi hominem melius erat, quia Deo gloriosius talem sibi obsequi, qui excutere quæ posset, non inuitus accipit imperia, & libens paret.

Tamen demus id sanè, melius futurum homini, peccare si non posset; an idcirco melius est illico, non esse in rerum naturâ hominem peccare qui posset? Sit sanè aurum argento præstantius; an hinc rectè concludes tu, melius fore si argentum non esset? an non conducibilis est & aurum esse, & argentum naturæ non deesse? aut quia argento aurum est pretiosius, idcirco argentum credis aurum quoque fieri debuisse? Id sanè non dixeris nisi valdè abs re. Nam hoc si dederis, in promptu est quod reponam; dicam enim & ferrum, argento vilius, in auri massas debuisse conformari: neque minus verè terram omnem, aquas, aëremque, non nisi solidum auri corpus esse debuisse, quia his omnibus melius est aurum. Quis verò id dicet, nisi cui natura ipsa exosa est, quique interitum optat orbis vniuersi? Aliud igitur est asserere aurum præstare argento, & illud hòc esse melius, aliud verò melius esse argentum non esse. Aliud quoque est hominem  
saltem

22.  
O. Aug.  
2. contra  
aduersa-  
riū legis  
c. 14.

23.

saltem aliquem, meliorem fore qui peccare non posset; aliud plane, melius non esse, hominem existere qui peccare cum possit, possit etiam non peccare.

24.  
D. Aug.  
l. i. de  
Gen ad  
sic 8.

Acutè rem hanc vrget Augustinus, obtrectatoribusque occuldit os. *Cum equare volunt genera bonorum, inquit, numerum minuunt; & inmoderatè augendo vnum genus, alterum tollunt. Quis enim hoc audiret, si diceret, quoniam excellentior est sensus videndi quam audiendi, quatuor essent oculi, & aures non essent? Ita si excellentior est creatura que Deo subditur . . . quis rectè intelligens dicat, talis esset ista qualis illa: nec videat se nihil aliud dicere, quam non esset ista, sed solum esset illa?* Præclare hæc vt solet Augustinus. Enimuerò, vt nobilissimum corporis membrum oculus sit, auribusque longè excellentius, quis tamen rectè dixerit, non melius esse corpori ab auribus simul & ab oculis, quàm si sine illis, quatuor oculos circumferret? nam si hoc vrges; vrgebo & ego, omnia corporis membra adeoque corpus totum quantum est, non nisi oculum esse debuisse; quod nimis profectò est absolum: cum id satis constet, humani corporis admirandum artificium, ex tantâ membrorum diuersitate, & mutuâ coniunctione existere.

25.

Neque vero de magno mundo aliter quam de microcosmo philosophandum est. Certè tanta creaturarum varietas, artificis industriam, artem, maiestatemque maximè commendat. Hæc verò inter cæteras præstantissima est diuersitas, quod tam varia, modisq; tam variis, Diuinitati à creaturis præstentur obsequia. Ab inanimatis enim & ratione carentibus, necessariò; à dæmonibus & supplicio æternò damnatis, quasi à reluctansibus mancipiis per vim coactionemque dum seruitur; ab Angelis felicibusque animabus, vt potè, in gratiâ confirmatis voluntariâ quidem agnitione adoratur, sic tamen vt peccare non possint: ab Homine denique in terris constituto, eius imperia legesque sic obseruantur, vt ea nihilominus libero vndequaue arbitrio possit excutere, obedientiamque denegare. An non hæc præclara sanè, gloriosaque magno Deo, sibi deseruientium est varietas? an non ea Maiestatis est euidentis illustrisque commendatio?

Quatuor  
creaturarū  
diuersis  
modis Deo  
obsequen-  
tium gene-  
ra.

26.

Quod si ita est, varietatem hanc nè tollat, numerumque ne minuat, vt rectè Augustinus, dum genus alterum sibi deseruientium auget; necesse sanè fuit peccata, permittere: ne dum libero

vim infert arbitrio, & naturam mutet, & gloriam sibi adimat, quam ei dat liberè deferuentium species & multitudo. *Quamobrem* vt D. Dyonisij verbis vtar, *vanum sermonem plurimorum nequaquam approbamus, qui aiunt Diuinam Prouidentiam, nos vel inuitos ad virtutem debere impellere. Nam non est Prouidentie, naturam violare. Quamobrem tanquam Prouidentia, que nature cuiusque conseruatric sit, libero motu peditis vt liberè se mouentibus, & vniuersis ac singulis modo quodam vniuerso ac cuilibet proprio, prospicit (in quantum eorum quibus prouidetur natura capit) vniuersæ atque omnigenæ Prouidentie beneficia, que cuique pro captu suo dantur: ita ille.*

D. Dyon.  
l. de Diu.  
nom. c. 4.

Atque hinc ad secundam propositæ veritatis demonstrationem gradum facimus. Nam præterquam quòd gloriosius Deo sit, creaturas esse peccare quæ possent, vt euidenter ostendimus; istud adhuc longè profectò gloriosius, quòd quemlibet hominem suæ relinquens naturæ & arbitrio, & verò etiam peccata sceleraque sic quæsi tacitus permittens, ijs ipsis tamen summâ dexteritate vtatur gloriæ suæ studiosus Deus, vt præstitutum sibi scopum assequatur, maiorem videlicet gloriæ suæ, nominisque manifestationem. Sic nempe summa nauiculariæ artis est, non quòd nauis gubernator, ventos pro suo libitu componat, septentrionalemque meridionali mutet pro vt res fert & necessitas; hoc enim non est nauclerum agere: sed ventis vt, prout indito sibi feruntur impetu, velaque velificationi obtendere, sic vt aduerso etiam vento cursum sibi præstitutum promoueat, hæc demum naucleri gloria est, quæ tota in artis suæ manifestatione exercitioque consistit.

27.

*Deinde gloriosius est Deo, peccata permitti: quia per ea ipsa gloriam suam amplificat, ostendendo nimirum longè plures perfectiones suas, quam si peccata nulla fuissent, aut esse potuissent.*

Secunda  
ratio, quia  
peccata v-  
sua est

**M**agnus sese hinc mihi aperit dicendi campus. Stringenda tamen erit oratio, ne diffluat. Verùm id quidem est, posse Deum, vt rerum omnium conditorem & arbitrum, naturæ legem

28.



legem ponere, eamque inflectere, innouare, atque etiam inu-  
tere. Ignis vt madefaciat, caloreque vt aqua absumat omnia,  
hoc verò in eius manu est, fateor. At illud etiam video, quòd  
cum summa Dei vt creatoris laus sit, omnia condidisse prout  
sunt, diuersitatemque tam variam rebus induxisse; certè non  
minorem esse laudem ea conseruare quæ rectè facta sunt; sum-  
mam verò artem esse gloriamque Directoris Dei, naturâ non  
immutatâ aut refractâ rectè debitèque vti.

Deus, vt  
benefaceret  
homini.

29. Fateor itaque nihil obstitisse quò minus hominem crearet  
Deus, qui prorsus peccare non posset. Verùm tum non hanc  
naturam humanam condidisset, non hâc, inquam, arbitrij quâ  
nunc pollet libertate præditam. Et tamen hanc esse voluit; hanc  
certè condidit, & quidem quòd hanc rationibus suis, hoc est,  
gloriæ prout modò ostensum est, iudicauerit expedire. Libe-  
ram ergo naturam humanam conseruet necesse est, ne pænitu-  
dine quasi ductus, creationis primæ videatur opera retractare.  
At verò, id etiam ei qui summè bonus est incumbit, mala cum  
sint peccata, ita hominis actiones instituere, vt licet possit, ta-  
men liberè non peccet; aut si peccat liberè quidem sed malè,  
malis ipsis benè vti.

30. En modò, vt verumque præstiterit sapiens & misericors Deus.  
Infirmitatem naturæ, præsertim iam corruptæ, exhortationibus  
internisque afflatibus firmat; minis propositis, conscientiaque  
stimulis audaciam comprimit, & deterret à scelere; præmijs  
longè maximis ad obsequium sibi præstandum allicit; interio-  
res etiam gratias, quæ supra naturam cum sunt, naturæ tamen  
ægritudini medentur, summâ liberalitate omnibus singulisque  
distribuit & peractis omnibus, *relinquit hominem in manu consilij*  
sui, vt agat prout vult, rectè an perperam, id quidem in manu  
eius est.

Eccl. i.  
Tract 4.  
& 5.

31. Verùm cum in tertio quem exposui sapientiæ suæ volumine,  
*conditionalium* inquam *Scientiâ*, illud certò cognouisset, homi-  
nem *si in manu consilij sui relinqueretur*, pessima initurum consi-  
lia; & verò etiam in secundo, *Scientiâ* nempe *Visionis*, nequid-  
quam homini tot præstita beneficia, nequidquam tot gratias  
fuisse impensas videret; quin etiam scelera per summam impu-  
dentiam, effrenemque libertatem peracta & perpetrata iam as-  
piceret; tum verò omnes Diuinæ Mentis contraxit neruos (sit  
verbo

verbo venia) vt ea ipsa scelera per summam iniuriam contra se commissa, præter rebellantis naturæ opinionem, in summam sui nominis cederent æstimationem & gloriam.

Rideo itaque Diuinæ Prouidentia obrectantium cauillos & dictoria, quasi peccata quod permittantur, Deo vitio verti possit; cum nusquam magis Diuinæ Prouidentia ratio & sibi constet, & verò etiam fiat manifesta, quàm cum per scelera & per summum nefas impetita Dei gloria, ab ipsis quibus impetitur sceleribus, sumpserit incrementa. Hæc artis summa est, hæc summa gloria, gloria suæ per contraria velificari. Nam vt disertè verèque Augustinus: *Non enim Deus omnipotens (quod etiam infideles fatentur, rerum cui summa potestas) cum summo bonus sit, vlllo modo sterneret mali esse aliquid in operibus suis, nisi vsque adeo esset omnipotens & bonus, vt bene faceret etiam de malo.*

D. Aug.  
Enchir.  
c. 10. & 11.

Omnipotens cum esset, quid ni peccatis potuisset intercedere, eaque præcidere? quid ni præstare posset, peccare homo vt minime posset? Verum hoc non erat Prouidentia, quam rectè, vt vidimus, D. Dionysius vocat *Naturæ cuiusque conseruatricem*. Libertatem hanc, quam obrinet homo vt peccare possit, tollere, non est naturam gubernare, sed destruere: naturam verò destruere, Omnipotentia id quidem opus est, non Prouidentia. Videte nunc igitur Prouidentiam Omnipotentis Dei, qui quod destruendum non esse rectè statuit, statuit id esse rectè ordinandum. Cum enim peruersas hominum mentes voluntatesque quasi ventos aduersos cerneret contra se insurgere; vt peritissimus Gubernator, naturæ cum statuisset nullam inferre vim, vela obliquat, proram obtorquet; hoc est, omnia Diuinæ Sapientia suæ decreta sic ordinat, flectit & inflectit, vt ea ipsa rebellantis naturæ peruersitas, gloria suæ promouendæ prorsus inseruiat. Et sic, vt rectè Augustinus, *Propterea Diuinæ Prouidentia ista dispositio tribuenda est; non quia peccatores facit, sed quia ipsa ordinat cum peccauerint*. Ordinatur igitur quæ permittit peccata Deus. Verum quem in finem ordinat? certè ad ostensionem gloria suæ, & quod magis mirè, ad maius etiam peccatorum bonum. Vtrumque sic expedio.

D. Aug. in  
Psal. 7.

Ratione  
peccati de-  
creta est  
mors Chri-

Primò namque, simul-atque peccata visa sunt exsurgere, quibus Diuina Majestas nimium quantum erat irritanda, illico Dei misericordia excitata est, tum ad satisfaciendum Iustitia secundum

34.

dum

dum omnem iuris rigorem, quod procul dubio irritata Majestas exigebat; tum etiam ad parandam commodissimam humano generi per peccatum lapsu medicinam. Cum verò omnibus Sapientia suæ euolutis libris, commodiorem modum non inueniret, quam si Filius Dei homo fieret, Incarnatio ipsa tandem præuiso peccato decreta est, prout probabilior Theologorum fert sententia; Sanctissima Virgo decernitur futura Mater; & ut tanto Filio foret digna, ab originali labe eximitur: statuitur mors Christi, exhibentur merita morientis Dei, expenditur

ad Phil. 2. obedientia per quam factus est obediens, usque ad mortem, mortem autem crucis; Christi merita, satisfaciendo peccato oblata, acceptantur ab irato Deo: moritur ergo Homo-Deus, seque holocausti instar totum subiicit, offert atque immolat in arâ crucis innocens victima; atque hōc pactō maior longè ad gloriam Dei per peccatum facta est accessio, quam si numquam peccasset temerarius Adam. Illud enim certum est, maioris meriti, gratiosoremque apud Deum Patrem fuisse solum illum actum vltimum & vnicum, quo sese illi subiecit moriens Christus, quam omnia omnium hominum Angelorumque totâ æternitate futura obsequia, simul sumpta, & in vnicam contracta actionem. Neque rursus omnia omnium hominum scelera, tantam iniuriam Deo Patri inferre potuerunt, quantum gloriæ is vnicus, pro peccato morientis Christi actus offenso Deo attulit. En ut per iniurias, suam gloriam Deus non repararit modò, sed & auxerit. Neque tamen idcirco dicas benefecisse Adamum peccando: præuaricator fuit, iniurius fuit, & rebellis: sed felicitatis nostræ fuit, in talem Deum quòd inciderit, qui ut præclarissimè Augustinus, non sineret esse mali aliquid, nisi usque ad eò esset omnipotens & bonus, ut sciret bene facere etiam de malo. Neque vulnus ideo malum esse desinit, quod in peritum medicum læsus inciderit, facilemque medicinam.

si, quâ nihil omnium gloriosius Deo Patri fuit.

Ratione peccati plura attributa Dei manifesta sunt mundo.

35. Deinde si gloria Dei in eo posita est, ut perfectiones suas mundo manifestet; nihil enim aliud est gloria, quam clara cum laude notitia, ut rectè cum Philosopho D. Thomas; certè præclarissimas perfectiones, attriburaque celeberrima Deus fecit manifesta, occasione ex peccatis sumptâ, quæ tamen si homo peccare non potuisset, aut numquam si peccasset, mundo commendare minimè potuisset.

Primò

*Primò* enim mandata ferendo, & hominibus dicendo ius, ostendit Legislatorem summum esse se, penes quem omne ius, omne imperium; & cui fas sit mandare, statuere, prohibere, aut etiam licitum facere & permittere cuncta pro arbitrio. Certè Legislatoris partes agere non potuisset, si non is fuisset homo, parere qui posset & non parere, atque adeò peccare si vellet posset, & si nollet posset etiam non peccare. Quæ enim leges ferri, aut quæ mandata dari possunt saxo & lapidi, si legem strictè accipias, & non per metaphoram aut accommodationem?

*Secundò* Iustitiam Deus ostendit; vindicatiuam quidem, cum nocentes punit, Commutatiuam autem cum bene merentibus præmia elargitur. At verò, quid tandem puniendum erit, ubi nemo poterit peccare aut legem infringere? & quæ præmia erunt danda, ubi ea mereri nemo poterit? aut quomodo quis merebitur, ubi ita productus est, ut non possit non agere quod vult Deus? An Solem quidquam mereri, iure quis dixerit?

*Tertiò* ut strictim multa dicam, infinitam ostendit Longanimitatem & Patientiam toties offensus Deus, cum non illico rebellem hominem castigat & perimit; Mansuetudinem, cum eum sceleris commissi admonet, & ad reconciliationem ineundam etiam inuitat; Misericordiam, cum toties tamque liberaliter scelus fatenti ignoscit; Amorem infinitum, cum inimicos etiam, sibi que tam iniurios vltro complectitur: sic ut longè amabiliorem humano generi se præstiterit, postquam ab eò tam grauitè & tam pudendis modis est offensus. Hæc omnia, tam Diuina tamen, Deoque tam gloriosa attributa, in ipsâ Diuinitate latere debuissent, nisi peccata hominum, ea ipsis etiam fecissent peccatoribus manifesta. Taceo nunc Passionis Domini- cæ emolumenta longè maxima, gratiarum augmentum, imò & ipsius Beatitudinis, quæ multò iam maior erit, multò excellentior, multò etiam Christo gloriosior, quam si peccata numquam fuissent, aut Christus non propter peccata, sed ad gloriam caelestem homini promerendam, Adamo non peccante (quod quidam futurum sentiunt Theologi) carnis nostræ mortalitatem induisset. Ecce, ut Sapiens Deus per ipsa peccata Gloriam suam extenderit, & benè sciuerit facere etiam ex malo, malum benè permittens, quod rectè nouerat ordinare.

## §. V.

*Melius est peccata à Deo permitti, quia Deus iis utitur etiam ad bonum & utilitatem hominum, quæ summa Dei ars est & gloria.*

39. **Q**uid, quòd Deus peccata sceleraque, quod secundò locò dicendum erat, etiam ad maius hominum detorquere nouit bonum, vt rectè Diuus asserit Dyonisius? *Quin etiam ijs qui mali euaserunt, ad ipsorum aut aliorum priuatam vel communem utilitatem Prouidentia benignè utitur.* Ita ille, & sanè rectissimè. Certè plurimis ad sanctitatis augmentum, peccasse profuit. Ex perpetrato enim scelere, maximo Dei dono, maiorem concipiunt fragilitatis suæ notitiam, impotentia agnitionem, maiorem tandem submissionem mentis, nimium ante hac efferæ & superbæ. Rursus, teneriori feruntur amore erga Deum, cuius benignissima viscera, misericordiamque sunt experti. Neque verò dubitandum est, quin lapsus licèt grauissimus negantis Petri & Magdalenæ dissoluti mores, maioris fuerint sanctitatis exordia, amorisque erga tam benignum Dominum incitamenta; cuius erga se charitatem tam eximiam, tamque supra id quod sperari poterat excellentem, numquam nisi peccassent, fuerant experturi. Et hæc quidem & alia multitudine infinita, per peccatum, homini scelerum pœnitenti, procurat Deus.
40. At verò si præfractè iis inhæreat peccator, neque respiscat; tum verò iustitiæ ostendendæ erit materies, vel supplicijs deo-æternis, vel etiam in hoc mundo iustitiæ exempla mortalibus daturus, si summo sic visum fuerit Legislatori. Et sic Prouidentia omnia benè dirigentis ordinem peccator non effugiet, semper futurus mortalibus terror, vt supplicijs respiscant alienis, ne in manus Iudicis & vindicis incidant, quem Legislatorem non sint reueriti & contempserint.
41. Denique prospiciens Deus, quod nec bonitate quam hominibus præstat, nec supplicijs etiam alienis, permouenda foret præfracta multorum hominum malitia & impudentia; mirâ sanè industriâ & consilio prorsus Diuino, eâ ipsâ utitur vt quod ipsis nocet ad supplicium, alijs saltem profit ad virtutis sanctitatisque

*Peccata  
multis  
causa sunt  
maiora  
sanctitatis.*

*Sunt obiectum iustitiæ Diuinae.*

*Sunt occasio multarum virtutum excendarij.*

tatisque eximium incrementum. Infinitam enim subministrant bonis iustisque virtutum exercendarum fegetem maleolorum scelera, quarum sine malitiâ alienâ, nulla aut tenuis admodum fuisset copia. Res in confesso est. Si scelera non permisisset Deus, qui tandem in orbe fuissent tyranni? admodum nullus. Certè iam innumeris Ecclesia triumphans caruisset Martyrum præclarissimorum agminibus, quorum sanguis & vulnera, nihil aliud sunt quam Ecclesiæ trophea & triumphii. Quid, quod si defint scelera, ne Christo quidem mors vnumquam fuisset illata, triumphorum omnium basis & origo?

En vt in omnibus gloriæ suæ, suorumque vtilitati promouendæ inuigilet industrius Deus! Peruersitatem peccatorum, non vult, execratur quin imò & detestatur. At cum obtigerint, illis vtitur, & in bonum alterius dirigit, quod ab altero peccatur, Vbi nunc forent merita Stephani, vbi palmæ Laurentij, vbi infinitorum Martyrum coronæ, si non sint perfidi Iudæi, si Neronæ, Diocletianos, aliosque Barbaros tyrannos non ferat effera imperandi cupiditas? Vbi Virginum constantia, si nulla sit perditorum hominum libido? Vbi inuidia infinitorum hominum patientia, si nemo iniurius, qui eam exerceat, nullus qui calumniam ingerat, nullus qui famam contra fas attrectet, nullus qui bona iniustus inuadat, nullus qui citra ius imperet, nullus qui fastuosè nimium dominetur? Certè præcisa est infinita virtuti materies, maximaque Deo gloria subtrahitur, quam ex virtutum heroicarum actibus, à suis clientibus per tot fastidia generosè exercitis, consequetur, dum eius obsequio tantâ constantiâ inhæretur.

Fatere tandem ô homo quisquis es, quique de rectâ Dei Providentiâ sinistri quid suspicabare, nullam te querimonijs tuis rationem posse obtendere; neque quidquam tibi stomachum mouere posse, eorum quæ malè toto passim geruntur orbe; ne peccata quidem maxima permitti, dolere debere te; frustra que esse honorem iniuriamque Dei, dolori tuo quod præendas. Nam vt dilucidè sapienterque D. Augustinus, *Deus naturas creat bonitate, & voluntates ordinat potestate; vt in eis nulla sit que ab ipso non sit; in voluntatibus autem, nulla bona sit cui non præsit, nulla mala sit quâ bene vti non possit.* Imò, si Augustino quidquam licet adicere, quâ non bene semper vtatur, vt modò ostensum est.

Quod

42.

43.

D Aug. l.  
8 de Gen  
ad litt.  
c 23.

*Itaque et  
tu peccata  
aliena to-  
lera, pro ut  
ea tolerat  
Deus.*

44. Quod si igitur peccato peccatoribusque succenseas Diuini honoris ductus zelo, rectè id quidem; facis id quod ratio, Deique offensi amor iure exigit. Verùm ne turberis animo, neque te honoris Diuini magis cupidum præsta, quam Deus ipse sit, honoris sui tamen niniùm quantùm appetens. Patitur ille scelera, patere & tu: si non vindicat, differt vindictam, vt mansuetudine peccatores ad pœnitudinem alliciat, aut vt castiget luculentius. De suppliciis sollicitus ne sis, *Mibi vindicta, & ego retribuam*: ita de se, & pro se loquitur Deus ipse.

ad Rom.  
11.

45. Interim age prout agit Deus. Magnâ cum tranquillitate, vniuersa quæ toto orbe committuntur scelera conspicit, semper immotus, semper quietus. Impedire ea conatur; si hoc non assequitur, scelera patienter fert: semper enim vtcumque res ceciderit, peccet homo an non peccet, videt id rationibus suis obesse minimè posse. Ita prorsus tibi agendum est. Vt quid enim te modò blasphemix in Deum coniectæ, modò furta, modò rapinæ, modò extorta lucra, modò falsimonia, modò homicidia, modò adulteria, modò vagæ libidines, & quæcumque demum commissa tantopere perturbant scelera? quid ex perturbatione illâ percipis vel rei vel spei? Quod si ea impedire & corrigere in manu tuâ est, age manum appone, sed citra tumultum, citra animi perturbationem. vt quid enim tantopere angeris, si scelerum quod detestaris, modum ponere tibi in promptu est? Quod si autem ea vel tollere omnino, vel ne serpent longius impedire in te non est; scias ea omnia à Deo permitti ad Gloriæ suæ manifestationem, nihilque à te requiri quàm vt & tranquillus videas, & emendare quæ non possis, feras, quia fert Deus. Omnia suis cursibus moueantur, & prout fiunt fiant.

*Et si possis,  
impedi; im-  
minuè,  
scias ad  
manifesta-  
tionem glo-  
riæ suæ à  
Deo per-  
mitti.*

46. At verò, inquires, malò meo malus est ille, sceleratus est meo impendio, meæ res agitur malè cùm sic agitur: malo meo iniustus est Iudex, malo meo calumnia impingitur. Ain verò vir bone? hoc te vrit? en vt tandem propriâ confessione conuinceris, non honoris Diuini zelò contra scelera te agi, sed proprij commodi appetentiâ. Ea enim permittebat Deus vt exerceris tu, vt magna tibi sese offerret patientiæ materia, quæ quidem in suam gloriam cederet. Vbi nunc Diuinus honor cui tantopere studebas? vbi animi submissio, vbi rerum terrenarum contemptus, aliæque virtutes, quibus excitandis aliena malitia ansam

*Sed vide  
an nõ ma-  
gis ex tuo  
incommo-  
do, quam  
ex zelo glo-  
riæ Dei,  
peccatis  
irascaris.*

dabat, ideoque à Deo, magno sanè delectu fuerat permiffa ? Tibi certè peccauit ille cuius scelera detestaris, hoc est tuo comodo, tuo bono, quantumuis scelestus fuerit malo suo. Aut fortè vis homini liberum eripi arbitrium, libertatemque adimi, in te peccare vt non possit ? Id certè Deus, ne honoris quidem proprij defendendi causâ facit. Quid ergo tibi præstari etiam præ Deo vis? quid tibi arrogas? aut si nil arrogas, quid conquereris causam tibi cum Deo communem esse? Fatere tandem perurbari te, quòd scelera vt scelera intuearis tantum, & non vt subiecta Diuinæ Prouidentia, omnia ad bonum finem dirigentis. Hanc igitur intuere, hanc admirare, hanc adora, eique contemplandæ assuesce, quotiescumque scelera occurrunt, non aliena modò, sed & tua; illudque identidem inclama; verè tu es Deus solus, mirabilis super omnes Deos, qui tam benè prouidus es, & tam prouidè bonus, vt mala nunquam permiffurus sis, nisi statueris *Benefacere etiam de malo.*



TRACTA-



## TRACTATUS VII.

Penè moti sunt pedes mei, pacem impiorum videns. Existimaui vt cognoscerem hoc, labor est ante me; donec intrem in Sanctuarium Dei, & intelligam in nouissimis eorum. *Psal. 72.*

*Ostenditur bona & mala huius mundi, bene dari etiam malis. sic vt nec soli, & omnes mali bona habeant, aut mala; nec etiam omnes & soli boni bonis affluant, aut malis vexentur. Itaque non affligat nos fortuna aliena.*

## P R O O E M I V M.



Agnum sane tranauimus æquor, illudque difficillimum, maxima, inquam, quæ Diuinæ Prouidentiæ obducendæ opponi poterat nubes, deducta est, & discussa. Scelera Diuino honori aded non officere, vt etiam illi promouendo fuerint necessaria planum fecimus. Verùm illud adhuc complanandum restat, quod non Ethnicis solummodo Philosophis, sed & Dauidi Prophetisque humanò more philosophantibus, fuit offendiculo. Vt vt sit, non impediatur scelera, permittantur sanè, cùm Dei honor, liberumque id hominis exigat arbitrium. At verò cur quæ sunt scelera, non permittuntur modò, sed & prosperantur? cur flagitiosis opes dantur, ceduntque omnia feliciter? si non omnibus, saltem cur plurimis, imò cur vlli? an hoc non est fouere scelera? Probi vero cur contempti aut depressi, cur rerum indigi, & quidem improborum maleuolentiâ? si non semper, saltem cur plerumque. Quid verò est virtuti officere, si hoc non est. Communissima hæc est

mortalium querimonia, quæque in omnium versatur ore. Cùm enim nemo se non probum æstimet, aut certè non adeò malum; rursus verò cùm nemo tam felix sit, qui sese depressum imò oppressum malis non arbitretur, nemo etiam putat iustè se non conqueri. Iis autem ut os obstruam, ostendam primò, præclarissimis sanè ductum rationibus Deum, sceleratissimos homines felicitate maximâ donasse. Deinde distributionem bonorum, aliter institui non potuisse, quàm sic; ut nec impij omnes à felici fortunâ excluderentur, nec boni omnes aduersâ premerentur: sed tam in bonos quàm in malos, bona malaque huius vitæ fors divideretur promiscuè. Hoc inde demum consecutus, ut nec alienæ felicitati inuideam, nec verò etiam infelicitate perturber.

## §. I.

*Quare via impiorum prosperetur, non intelligemus perfectè, nisi in nouissimis eorum. Ut modò acquirescam, sufficit scire me, Deum id sic disponere.*

*Querela de  
impiorum  
felicitate  
exponitur.*

**C**ommunissimam, maximeque inter cæcos mortales vulgatam, de Diuinâ Prouidentia conquerendi materiam aggredior. Mirantur passim homines, suis semper intenti commodis, eccur Deus hominem crearit tam indigum rerum omnium, tot fortunæ casibus expositum, tot miseris morbisque corporis subiectum, cùm facile, nulloque negotiò, aut vllò suo incommodò, potuerit hæc aliter condere & ordinare. Quòd si respondero, non sic ab initio conditum hominem; peccatum primi Parentis intercessisse, primamque ordinationem interurbasse; ac proinde miseras omnes, fructus esse pœnasque peccatis debitas; hoc inquam si reposuero, tum verò velut agmine factò, Critici illi Diuinæ Prouidentia Censores inuolabunt in me, illudque tritum roties ob os obrudent; cur si miseriæ, peccatorum pœnæ sint, scelestissimus quisque extra miseras positus, bonis abundet, dignitatibus turgat, vitamque agat prorsus feliciter? Quid quod & Prophetæ Hieremiæ sit ista querimonia? *Quare, inquit, via impiorum prosperatur?* an ut foueatur impietas? Neque hoc tantum; sed sint sanè felices, sint diuites, sint potentes: verùm cur

Hic. 11.

cur id permittit Deus, vt potentiâ suâ bonos opprimant, expo-  
 lient, pessumdent; quasi verò felicibus esse non detur, nisi per  
 iustorum calamitates & ruinam. Hoccine est iustum esse, iusti-  
 tiæque ordinem obseruare! Egrè ferebat id vel ipse Habacuc:  
 idcirco querelas hominum modeste Deo referens: *Quare inquit*  
*respicis super iniqua agentes, & taces deuorante impio iustiorum se?*  
 id certè non videretur tolerabile. Castigare scelestos deberet Deus;  
 quod si nolit, saltem fauorem bonis subtractum, indecens est  
 impiis impendere; quasi verò pro scelestâ vitâ mercedem præ-  
 miaque reportarent. Quæ demum hæc Dei est gloria, quæ Pro-  
 uidentia, præmiis animare scelera? quæ iustitia, miseris vltro  
 ingestis, virtutis studiosos exanimare, & sic virtutem tandem  
 tollere?

2. Querelas, imò injurias, quas in Deum congeris, audio Cen-  
 sor importune: iniurias non libet reponere. Tamen cum Epi-  
 cteto *Ego Deum apud homines defendam.* Ac imprimis, cum Dei  
 Majestatem voces tuæ impetant, certè à Deo hæc omnia proue-  
 nire & disponi in hunc ordinem, fatearis necesse est. Procul  
 dubio inquis, nam hoc est, de Deo quod queror. At verò, hæc  
 ipsa, & quidem sola ratio sufficit, vt hæc omnia quietus videam,  
 & tranquillus patiar. Si enim hæc à Deo facta est rerum distri-  
 butio, certè facta quia voluit. *Omnia enim quæcumque voluit, fe-*  
*cit,* neque voluit quicquam nisi de industriâ. Quod si voluit, il-  
 lico iustum est quod fecit. Idem enim est iustum quid esse, &  
 id velle Deum, vt rectè D. Cyprianus *Cuius voluntas,* inquit, *sola,*  
*& vera iustitia est.*

*His resillē-  
 diu sufficere  
 deberet hæc  
 à Deo sic  
 ordinari.*

Cypri 1 de  
 Singul.  
 Cleric.

3. An verò sim ego vsque adeo impudens, vt Iustitiæ Diuinæ ra-  
 tiones sigillatim mihi exponi postulem, aut iustum id esse ne-  
 gem iudicium, cuius momenta omnia arbiter ego non discusse-  
 ro & approbaro? Enim verò quis eò dementiæ prouehatur, vt  
 causas omnes in supremo Regni Concilio diiudicatas, sibi ex-  
 hibendas esse proclamet; neque iustam esse sententiam, nisi quæ  
 sibi discussis omnibus riteque expensis, plenè fuerit comprobata?  
 an non is risum moueat modeste agentibus, Senatoribus autem  
 stomachum? certè vt parùm dicant, illud tamen magnâ ratio-  
 ne ingerent, *Quis te constituit iudicem super nos,* & quidem au-  
 ctoritate publicâ sententiis ferendis prepositos! Hoc certè tibi  
 longè potiori iure sanctissimæ Trinitatis aula opponet quisquis  
 es,

es, quis te constituit Iudicem super nos?

Ordinatio-  
nis huius  
iustitiam,  
in die Iudi-  
cij videbi-  
mus.

Et verò, an illud oblitus es modo, id quod modò exposui, non esse nos cò ingenij acumine, diuinorum decretorum rationes percipere qui possimus, nisi omnium omnino rerum circumstantiarumque complexus euoluantur? & hos mente tam infirmâ circumplecti qui possis? Acquiesce tandem, Mortalis, quisquis es, & debilitatem tuam agnosce, tempus aperiet omnia; illud nempe, diiudicando orbi præstitutum. Nunc certè patiendi tempus est emendare quæ non possis, tunc erit iudicandi. Et quod præclare monet Augustinus, *De hoc quoque manifestabimur, quàm iusto iudicio fiat, ut nunc tam multa, ac pene omnia iusta iudicia Dei, sensus mentesque mortalium lateant: cum tamen in hac re, piorum fidem non lateat, iustum esse quod latet.* Adde, & iustum esse quod lateat. Neque enim præclaram hanc Augustini sententiam sic tantùm intelligendam esse video, quasi si id velit enuntiare solummodo, nos in claro extremi iudicii die, cum manifestabuntur vniuersa, rationes omnium decretorum Dei liquidò percepturos, ad quas nunc cæcutimus: verùm & illud etiã luce clariùs nos visuros assero, benè iustâque Dei ordinatione factum fuisse, vt rationes illæ nos laterent modò, oculisque nostris subtraherentur; idque vnicum debuisse nobis nunc sufficere, iustum esse quod fit.

Aug. l.  
de Ciu.  
c. 2.

Interim  
humanis  
rationibus  
hæc nō sunt  
expenden-  
da sed Di-  
uina.

Cæterùm, si humanarum rationum trutinâ rem expendimus, illud sanè cum Augustino fateri cogemur. *Ante faciem meam laborem inextricabilem video, vt cognoscam quomodo iustus sit Deus, & res humanas curet; & non sit iniquus, quòd peccantes & scelera facientes, felicitatem habent in hac terrâ; pij verò temptationibus plerumque & in laboribus fatigantur. Magna difficultas est hoc scire.* Neque mirum quod Augustino difficilis visa sit hæc res. Certè de se, hæc cogitatione percusso fatetur Dauid ipse, *Pene moti sunt pedes mei, pacem peccatorum videns. Et labor est ante me, donec intrem in Sanctuarium Dei, & intelligam in nouissimis eorum.* Fateor itaque cum Augustino, inextricabilem esse laborem, scire quomodo iustus sit Deus; & rursus quod *magna difficultas est hoc scire.* Verùm id etiã video, nullam difficultatem esse, hoc nolle scire; nulliusque laboris esse, iustum esse credere, quod ignoro, quomodo iustum sit. Nulla mihi iam indagandarum rationum incumbit necessitas: intelligam id penitus in nouissimis

5.  
Aug in  
Psal. 74.

Psal. 74.

cor 1128

eorum, cum intromissus fuero in Sanctuarium Dei, vbi causam suam coram toto orbe acturus, & euicturus est iustus Deus: isthic videbo, planeque perspiciam. Iustum fuisse quod nunc facit; meum iam est, id quod rationis lumine clarè conpictus iudicabo; cæcè nunc, sed piè credere. Hoc Christianum est, hoc mentis Deo subditæ & deuotæ.

## §. II.

*Felicitate impiorum vititur Deus, vt nos magis in Fide confirmet, præsertim Resurrectionis & vitæ aternæ.*

6. **V**erùm, simulatque oculos mentis, ratiocinationibus humanis hâc in parte conquirendis occludo, Deus bone, quanta sese offert supernaturalis lux, quâ ingentes profus, diuinasque rationes discerno, quibus felicitatem impiorum rectè à Deo procurari, euidenter videam, planissimeque dijudicem? Ac imprimis istud illico occurrit, sceleratorum prosperitatem, ingentem esse confirmationem fidei meæ: liquido enim video, aliam necessariò debere esse posthâc vitam, præter hanc miseram quam nunc viuimus, vel potius infeliciter trahimus. Docet id me primò Clemens Romanus Pontifex. *Hoc ipsum inquit, quòd in præfenti vitâ non redditur unicuique pro actibus suis, indubitabilem fidem facit scientibus, quod iudicium erit: & verò ratio id euincit manifestè. Etenim Deo imputas, quererisque fortunati quod sunt pessimi: Deum itaque esse fateris tu, fortunas qui distribuatur. Rectè. Iam verò istud vrgeo; an vllâ in parte, iustitiæ limites Deum excedere posse credis? non autumo, nisi id etiam statuas, possibile esse, non esse Deum. Quòd si verò non possit non esse iustus Deus, certè non potest non punire tandem aliquando scelera, nec virtuti debita præmia semper poterit denegare. Iam verò, nonne id fateris, improbos hâc in vitâ felices esse, non castigari eorum scelera, vitam ducere iucundissimam; probos verò non nisi miseris implicari? sanè hoc tute ipse fateris, hæc enim tibi conquerendi tota est materia. Itaque necessariò si mentem aduertis, aliam post hanc esse vitam fatearis oportet. Nam vt rectè vrget D. Chrysostomus, *vbi qui bene hic operati fuerint bonis**

*Primum bonum quod ex impiorum felicitate refert iustus, est fidei confirmatio.*

Clem.  
Rom. 1.3.  
recognit  
in medio.

D. Chryf.  
hom 9 in  
2. Cor. 4.

Y

bonis fruuntur; ubi autem mali contrariis, nisi sit futura vita quædam posthanc? Aut id planè concludendum est; aut dicendum, Deum iniustum esse posse: quod quidem dictu est execrabile, & vero re ipsâ vt sit, nullo pacto est possibile.

En, vt felicitas impiorum, quæ humanis oculis expensa, Davidis quoque pedes, quasi in lubrico positos, in lapsum impellebat, nostræ Fidei sit fulcimentum. Non intelligimus cur floreat scelerati, cum adhuc in flore sunt; in nouissimis autem eorum intelligemus, aliam superesse vitam, alia gaudia, aliam felicitatem, aliam denique expectationem nostram, præ eâ quam nobis præterdit miseræ huius terræ fucata felicitas & voluptas; alias denique esse miseras & supplicia præter ea quæ modo perfentiscimus & horremus. Et verò sola ea spes expectatioque sufficit, vt cum ingenti animi tranquillitate, videamus totum hunc fortunæ cursum, labilesque spes hominum, isthic depressas, isthic eleuatas, vbique caducas. *Pacem itaque peccatorum videntes*, dicamus illico. *Omnis consummationis vidi finem*, finemque cum video, felicem tandem exspecto, quem verò fortunati illi habituri sunt, id illi relinquo, qui nouit moderaturque omnia. Id certe impiorum deploranda felicitas mihi confert boni, quod fidem meam penitus confirmet.

7.

## §. III.

*Felicitas impiorum iustos confirmat in Spe.*

Secundum  
bonum est  
augmētum  
Spei.

Quid, quod impiorum prosperitas, spem Christianam mirum in modum acuat atque extimulet? idcirco enim malis & sceleratis in hac vitâ, bona quædam largitur bonus Deus, vt toti orbi constet, quàm munificus futurus sit remunerator, tum cum perfectis gratiæ operibus mercedem *plenam & cogitatam*, & *super effluentem* daturus est Deus, sibi tam chara capita æterno deuincturus amicitia vinculo; cum tam liberalis sit tamque profusus modò, vt sceleratorum sibi que rebellantium quædam bona opera (naturæ tamen fœtus & non gratiæ) eaque adhuc multis sceleribus intermixta, tot bonis, tantâque naturæ felicitate compenset. Cogitatio hæc diui Chryostomi est, eoque digna deducenda

8.

Luc. 6.

D. Chry.  
ho. 67. ad  
pop.

ducenda est paululum, ut percipiatur vis.

9. Illud sanè mihi facile quiuis dabit, neminem esse adeo peruersæ mentis ac perditæ, qui non aliquid agat laude dignum, quodque morale saltem, hoc est naturæ rationique consonam sortiatur bonitatem. Crudelis ut sit Tyrannus, aliquando tamen misericordiam victis exhibet, naturæque propensio insitam animo emollit ferociam: neque qui in omnem luxuriam proiectus est, idcirco iustitiam non colit; neque qui iniustus, alia humanitatis, imò ne Religionis quidem erga Deum, deserit officia: Res hæc in confesso est. Attendite nunc genium indolemque Dei: certè tam generosa est, ut ea ipsa qualiacumque bona opera, nolit omnino abire indonata: id verò in alterâ vitâ præstari cum non possit, utpote ab omni felicitate isthic extoribus; in hæc confert quidquid postulari possit præmij, ne quidquam omnino favoris, in alterâ post hanc vitâ, quasi iure aliquo possit expeti, aut bonum aliquod opus in rationes computumque deduci. *Quid si fuerit peccator aliquis, verba sunt Chryostomi, sexcentis malis coopertus, & qui in pluribus illorum, insanabili morbo laboret, qui rapiat, qui fraudet, idcirco prospero rerum successu fruatur, ne mercedem isthic repetat.*

*Impiorum hic Deus felicitate quadam bona opera remuneratur, ut postea plene castiget eorum mala.*

Chrysof. hom. de adversa valetud. tom. 5.

10. Contrà verò, cum iustum vides affligi, illud recum reputa, neminem adeo accuratum esse, qui non aliquando à recto deflectat tramite, neque adeo bonum, quin aliquid aliquando faciat mali. Idcirco hic patitur inquit Chryostomus, *ut purus hinc abeat, nihilque puniendum reitet.* Quòd sanè præclare Lazari confirmat exemplo. *Quoniam ergo, inquit, & Lazarum habere quædam peccata contigerat, & diuitem aliquod bonum habere: propterea dicit Abraham, nihil hic require, bona illic Tua recepisti, & Lazarus mala sua.* & ne quis id me ita dicere credat, inquit Chryostomus, certè ipsissima Abrahami verba sunt *Tua* nimirum & *Sua*, hoc est, quæ tibi debentur, & quæ Lazaro. Quod ut euidentiùs declaret Abraham, non dicit *Accepisti*, sed *Recepisti bona tua*: nam quod accipitur non semper debetur, debetur autem quod recipitur, bona itaque quædam debebantur Epuloni, Lazaro autem quædam mala. En verba Chryostomi; Epulonem alloquitur. *Fecisti aliquid boni? recepisti opes Tuas, sanitatem Tuam, delicias, potentiam, honorem: nihil debetur, recepisti bona Tua.* Tum ad Lazarum orationem deflectens. *Quid igitur?*

*Iustus hic Deus ob quædam ipsius mala castigatur, ut postea plene remuneretur.*

ibid. Luc. 16.



nihilne Lazarus peccauit? imò verò. Et Lazarus similiter mala, scilicet sua recepit. Cùm tu Tua bona recepisti, tum Lazarus mala, idcirco nunc iste consolatur, Tu vero cruciaris. Iuste omnino, & rectè, cum enim Lazarus, pro perperam factis, patiendo satisfecerit; puniri non potest, nihil debet: cumque pro rectè factis nihil ei admodùm sit perfolutum, adhuc ei debentur omnia. Tibi verò pro bene gestis præstita cùm sint omnia, nihil debetur præmij: at quia debitorum suppliciorum nihil exoluisti hæcenus, in pleno ære Deies, debes omnia, & quia æquitas id exigit, solues omnia.

Non igitur  
sibi blandiatur  
impii si hic  
sint felices.

Mentem huc aduertite, quocumque fortunati esse vultis & dici. Fortunati si estis, & nihilominus Dei hostes & peccatores; huius æui, terræque fortunatos vos credite; non alterius & æterni. Duret, si fortuna sic fert, eò quò viues tempore, fucata illa quâ deliniris felicitas; at verò æternitate totâ tibi quid fiet? Bona dat nimium tibi benignus Deus, diuitias largitur, dignitates impertit & honores; tuque diuinis beneficiis, in iniuriam benefactoris abuteris. Non percipis interim irati Numinis esse timenda beneficia? Nihil deliciarum, nihil felicitatis tibi detrahit, vt nihil tibi debeat, si fortè rectè quid egisti: rationes interim tecum pro sibi à te debitis initurus, vt liquidissimas, ita & rigidissimas.

Largitur enim felicitatē hanc Deus, vt postea districte iudicet & puniat.

Vin plura? certè cùm Dei arcana consilia tetigerimus, illud etiam dicam vt aurē tibi vellicem, nimiumque ne tibi de felicitate blandiaris. An nescis diuitias, fortunaque eò consiliò tibi à Deo submitti, vt maiori vt sic dicam animo, te in extremò totique orbi conspicuò iudiciò arguat, securiusque condemnet? Cur sic inquires? dicam. Causæ suæ æquitatem, omnibus creaturis conspicuam facere cùm statuerit; idcirco felicitati tuæ, cùm possit, nihil detrahit; vt omnibus constet, nihil omnino rationis afferre te posse, cur eò audaciæ prolapsus sis, vt tam beneficium Numen te non puduerit iniuriâ impetere, eiusque tam iusta imperia detrectare. Felicem te facit, quamuis peccatorem, vt tandem aliquando *iusficietur in sermonibus suis, & vincat eum iudicabit.* psal. 50.

Audi Ambrosium hæc in Iudâ exaggerantem. *De Iudâ Proditore, inquit, hæc colligere licet: qui & Apostolus inter eos electus est, vt loculos pecuniarum, quos pauperibus erogaret, commissos haberet;* 13.  
Ambt. l.  
9. offic. 6.  
15.



ret; ne videatur quasi inhonorus, aut quasi egenus Dominum prodidisse. Quid deinde? Et ideo ut iustificetur in eo Dominus hæc ei contulit, ut non quasi iniuriâ exasperatus, sed quasi preuaricatus gratiam, maiori esset offense obnoxius. Optime Ambrosius & Iudæ & tibi. frustra id iam quidem Iudæ, nisi quod Iudæ, id & tibi diceretur, quisquis es peccator, & cum dici sic ambius, peccator fortunatè. Quod si rerum omnium egenus fuisses, certè tot furta, iniustasque technas, paupertati depellendæ aliquo saltem modo poteras imputare; Quod si calamitatibus, dedecore & ærumnis te Deus oppressisset, vindictæ de tam seверо Domino sumendæ causâ ei te bellum indixisse, legesque tibi imposiras excussisse, malè quidem, tamen in speciem potuisses obtendere: at iam quid dices? quò te vertes? quid afferes excusationi? quomodo causam tuam orbi iam probabis? Nescio sanè. Illud videt orbis vniuersus quod *incrassatus est dilectus & recalcitranit; incrassatus, impinguatus, dilatatus, & nihilominus, dereliquit Deum factorem suum, & recessit à Deo salutari suo.* Habemus fatentem reum, & eò tacente res ipsa loquitur; euicta causa est: itaque *veniat mors super eos & descendant in infernum viuentes.* Percipitis tandem, cur malis bona det bonus Deus? *ut iustificetur in eo Dominus, & causam suam contra omnes obtrectatores euincat, cum iudicarit.*

14. Nunc verò ad vos mihi sermo est Auditores. Quisquamne inter vos est, qui operum suorum sibi mercedem integram in hoc mundo præstari desiderat, plenamque omnium quæ sibi debentur præmiorum epocham, nihil vltra petiturus velit dare? Felicem modò te hîc reddat Deus, vis ei cœlestem, quam tibi daturus est gloriam transcribere, & omne debitum condonare? Minimè verò inquis, absit hoc à me. Sapis profectò, sapias. Iam verò, an etiam adeò amens sis, vt vel minimam debitæ mercedis partem, & vt ita dicam atomum velis concedere, in hoc mundo fortunatus vt sis? terrena gaudia cœlesti gloriæ, corporis comoda deliciis animæ, æternis peritura vt æquipares, imò vt præponas? non arbitror adeò insanum te, nec tibi ipsi tam inimicum. Quòd si igitur æterna tanti facis, quid tantopere conquereris, terrena quòd tibi deneget, vt plena & integra tibi stet merces isthic soluenda, vbi cum datur quod debetur, debitum tamen numquam exstinguitur? Cur non tibi ipsi gratularis cum

ed hinc  
Interimius  
stus sepe  
suarum ex-  
speculatione  
consolatur.  
11011 111

affligeris; certus te, quæ debes supplicia patiendo delere, sic ut  
 omni ære alieno liber, creditor ipse debitorem Deum possis li-  
 berâ & exporrectâ fronte conuenire? Sanè hâc spe fretus, ride-  
 bat miseras omnes laboresque diuinus Paulus. *Bonum* inquit, 2. ad Cor.  
*certamen certauit*, hoc est multum mihi desudandum fuit, non 4.  
 parua certamina sustinui, *cursum consummavi, fidem seruavi. In*  
*reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus*  
*in illâ die, iustus Iudex.* Repositam nimirum gaudet coronam  
 integram, & reueruatam mercedem plenam, cuius admodum  
 nihil in hoc mundo receperit; certò tamen recepturus, quia ju-  
 stus est is, qui debet laboranti præmium; & benignus, æternitati  
 illud cum reueruat.

Interim fatere modo, abs re esse quòd conquereris, prospera  
 sceleratis; aduersa pijs cedere; fateberisque, fat scio, mentem  
 Dei consiliumque si, prout exposui, intellexeris. 15.

## S. IV.

*Felicitas impiorum magnitudinem celestis Gloriæ demonstrat.*

*Patere igitur felicitatem eorum; tibi tam utilem,*

*Tertium bo-  
 num, quod  
 ex impiorum  
 felicitate,  
 æterna  
 gaudia de-  
 tur intelli-  
 gere.*

**A**Dde quod ex eâ quam tantopere miraris sceleratorum ho- 16.  
 minum felicitate, celestis quæ nos manet gloriæ magnitu-  
 dinem, datur conijcere & inuestigare. Age sis, & quidquid ter-  
 ra fert gaudij, quidquid deliciarum Imperatorum aulæ, quid-  
 quid diuitiarum expoliata armis Prouinciæ, quidquid dignitatis  
 euecta per vim fastigia, homini quem tu fortunatum vocas vn-  
 quam contulere, ob oculos tibi propone, & si potes mente con-  
 cipe; theatrorum acclamaciones, conuitiolorum luxus, chorea-  
 rum gaudia, luxuriantium inanes risus, & steriles cachinnos;  
 quidquid denique immodica conferre potest fortuna, cogitatio-  
 ne designa. Designasti: iam verò sic tecum, imò mecum ago.  
 Quod si tam munificus, imò tam profusus est *Dominus, iustus*  
*tamen Iudex*, ut bona quædam opera, naturam tamen non ex-  
 cedentia, & quidem tot tantisque sceleribus contaminata com-  
 penset; quæ demum erit illa gloria, quæ delicia, quæ corona, quæ  
 gratiæ perfecta opera, hoc est, Sanguinis à Deo homine profusi  
 merita

merita compensabit? Si tam bonus est tamque liberalis erga hostes, Majestatis suæ iura per summum nefas infringentes; quæ tandem reposita est corona diligentibus se, quæ hæreditas filiis, per Filij sui dilectissimi Sanguinem adoptatis? Si talia impertit gaudia in exilio constitutis, in hanc lachrymarum vallem ablegatis; quæ demum serenitas erit in montibus æternis, in centro voluptatum, vbi flumina deliciarum *letificant civitatem Dei*. O Ierusalem cœlestis! Domus Dei! civitas sancta! patria dilecta! qualem ego te contemplor, cum exilij huius felicitatem aspicio!

Psal. 45.

17.

Contemplari eam veluti in ænigmate possumus. Auditores, cæ frui necdum possumus; descendendum est itaque e montibus illis æternis, quos iam mente conscendebamus: vallemque nostram repetentes, illud nobiscum iam reputate, quanti momenti sit, ingentem, de Deo Diuinisque decretis animo imbibisse opinionem? Cùm semel illud tamquam indubitabile statuerimus, bonum esse & rectum quidquid ager Deus, illico rationes sese magnâ copiâ offerunt, quibus singula defendamus. Adeo verum est, vt exposui, illud Ecclesiastici *Qui timet, hoc est, qui reueretur Dominum, inueniet iudicium, & iustitiam*, nempe Dei, *quasi lumen accendet*, vt plurimas inueniat rationes, quibus iustum esse, quod non dubitabat iustum esse, rationibus conuictus asserat, & conuictum sese gaudeat. Nihil adeo videbatur difficile, quàm intelligere quo pacto iustus sit Deus, impiorum votis cum obsecundat; & tamen iustum id esse postquam statuimus, quàm facile fuit iustitiæ ante tam incognita rationes conquirere & inuenire?

Ecclesi. 3.

Acquiesce  
igitur tam  
iusti ordi-  
nationibus  
Dei.

Neque tã-  
dum in ge-  
nere patia-  
ris impios  
felicis, sed  
etiã hunc  
impium in  
particulari  
querit of-  
fendit illa  
est.

Neque tã-  
dum in ge-  
nere patia-  
ris impios  
felicis, sed  
etiã hunc  
impium in  
particulari  
querit of-  
fendit illa  
est.

est.

est.

est.

est.

est.

est.

est.

est.

est.

est.

est.

est.

est.

est.

est.

est.

est.

est.

est.

est.

est.

est.

est.

est.

est.

est.

est.

est.

est.

est.

est.

est.

est.

est.

est.

est.

est.

est.

est.

est.

est.

est.

18.

Has itaque mente generatim complectentes, qui cetero post hæc, neque quidquam vltra inuestigate: sint felices modo, sint fortunati, sint diuites, fluant ex eorum votis omnia; qualia fuerint vota *intelliges in nouissimis eorum*. Neque quod iustum esse in omnibus sceleratis generatim creditis, id de nefario quopiam particulatim amplius exquirite, neque cur hunc Tyrannum ferat Deus, cur hoc scelus non impediat, cur nefarius hic tam amplè dominetur. Superfluum est quæstiones eiusmodi, specialiter instituere, vbi de iustitiâ generatim constat. Verum id video, homines plerumque non tam de sceleratorum bonis generatim, quam de huius nefarij qui præ oculis est, de huius impudici, de huius

huius truculenti à quo quis opprimitur, felicitate angere & potentia dolere. Hunc sublatum vellent, hunc depressum, hunc in ordinem redactum. Sint sanè in Indiis tyranni, sint impij in Iaponia felices, dominantur isthic scelera, parua de hoc nobis est curatio. An verò tu? Certè iam perspicio, non Dei gloriam, sed tuum incommodum has querimonias expressisse.

*Hic enim  
Deus felices  
vult, ut  
per eum te  
castiget.*

Quod si nihilominus Diuini honoris assertorem te dicis, eiusque gloriae cupidissimum; sis sanè, & permitte Diuis cætera. Puniet eos Deus, deturbabit de gradu, tastum coercebit, tum cum id erit ei gloriosissimum. Tu dehac re, ne cura. Interim id modo ad gloriam Dei conducit maximè, vt modò affligaris tu, vt opprimaris, vt mala sustineas, & malos feras patienter. Hæc Dei laus est, hanc à te expectat. Idcirco hoc scelus, hunc proteruum patitur, vt tibi per eum patientiæ materia, sibi verò laudis per te detur. Pœnas nonnunquam es commeritus: nefarius hic flagellum est, virga est quâ castigaris, vt post hanc miseram vitam, nihil tibi soluendum restet. Patere flagellum esse: castigato filio; flagellum fit ignis pabulum, filio hæreditas ex asse reseruatur.

19.

*Eum casti-  
gaturus  
suo tempo-  
re.*

Iam verò, si nefarius ille virga tua est, cur conquereris eum tam potentem esse, florere opibus, florere fortunâ, florere dignitate? Virga est, & quæris cur floreat? vt tibi magis doleat, eâ cum percuteris. Quid ergo! Virgam esse vis siccam & emaridam? Et quæ tum tibi daretur patiendi materia, quod virtutis exercitium? quæ castigationis erit vtilitas, vbi doloris non est sensus? Floreant sanè virgæ, floreant; & vt floreant, succum è terrâ trahant, baccis turgeant, in folia sese distendant, sint conspicuæ, sint virentes, sint floridæ; tempus erit cum cuncta diffluent, nihilque futuræ nisi flammis deuouendæ victimæ; filijs castigandis quondam vtilis, cæterum posthac inutiles futuri rami.

20.

*Tempus au-  
tè tu Deo  
ne præseri-  
be.*

At inquires, longinqua est hæc spes, nimum durant virgæ hæc: cur non abijciuntur modò, cur tam diuturna eis felicitas? Ah querulum hominum genus! Longum tibi videtur tempus hoc quod exigimus? Audi Augustinum. *Quod tibi videtur longum, breue est. Vis esse longanimis? iunge te eternitati Dei. Nam attendis ad dies tuos paucos? & diebus tuis paucis vis impleri omnia. Que omnia? vt damnentur omnes impij, & coronentur omnes pij.*

21.

Aug. in  
Psal. 91.

An

An non id video, contra omnem rationem id velle te? id enim vis, vt maxima pars orbis pereat, viuente te. Non hoc volo inquires, vnicum tantum, illudque scelestum planè caput diris deuoueo: hoc si aufertur, plana mihi posthac sunt omnia. Næ tu causam tuam, sed non Dei, agis præclarissime! At verò non id perspicis, eodem profus modò alium de aliò, sibi æquè ac tuus tibi infestò, tertium de tertio æquè vt sibi videtur sceleratò ac tuus tibi, conquesturos? Nemo certè ferè vnus est, qui non aliquem sibi habeat infestum, quem sublatum cuperet, eodem quò tu iure. Neque verò tu ipse is es, quem non aliquis sibi obstaculo esse retur, licet id nescias. Quid ergo? an illico omnia destruenda sunt, vt conquerentium votis Deus satisfaciat? Certè & tu in numerum eorum venies, quos de medio tollendos statuit humana fatuitas. Ridicula hæc planè sunt, & indigna quæ tranquillitatem nostram perturbent vota. Floreant, vireant scelerati, castigentur, deprimantur; verùm *Deus*, vt ait Augustinus, *impleat ea in tempore suo*, hoc est tempore à se præstitutò. Tempus nostrum angustum est nimis & breue; & angustior nobis adhuc mens est, quàm vt se ad ea *que Deus posuit in suâ potestate* tempora designanda queat extendere, & explicare.

## §. V.

*Rectè tamen nec solis malis bona, nec solis bonis mala eueniunt: vt hinc discas, nec que vocantur bona, vera bona, nec que mala, verè mala esse. hinc vtraque aestima prout sunt, non prout nominantur.*

22. **H**Actenus bellè. Verùm inquires, illud exinde rursus exurgit difficile, quòd nec omnibus sceleratis fortuna semper faueat, nec iustis omnibus sit aduersa: & rursus plurimi impij miserijs ingentibus implicentur, vbi boni quamplurimi sunt in delicijs. Quid hinc repones? Prouidentiam Numinis hinc quòd pactò vendicabis? Difficultatem hanc magnam sibi proposuit, in omnibus magnus Augustinus. *Nunc verò inquit, quando non solum in malo sunt boni, & in bono mali, quod videtur iniustum;*

*Quæritur  
cur bona  
& mala  
huius vite  
dentur iu-  
stis & im-  
pijs promi-  
scuè.*

Aug. l. 10.  
de Ciu.  
c. 2.

*Z* *verum*

verum etiam plerumque (quod quidem est verissimum) & malis mala eueniunt, & bonis bona proueniunt; magis inscrutabilia sunt Iudicia Dei, & inuestigabiles viae eius. Alio vero loco explicatius. Non enim soli boni plenas habent domos rebus necessariis; aut soli boni vel salui facti sunt, vel ab egritudine conualescunt; aut soli boni filios habent, soli boni pecuniam, soli boni cetera apta huic vite temporali atque transeunti: habent haec & mali; & aliquando desunt bonis, sed desunt & malis; & plerumque istis magis quam illis, aliquando illis quam istis potius abundant. Permixta ista temporalia Deus esse voluit. Inscrutabilia quamuis haec Dei iudicia, inuestigabilesque vias dicat Augustinus, ipso tamen duce, difficultatem hanc ut spero superabimus, cum summam Diuinæ Prouidentiae rationem intelligemus.

Aug. in  
Psal. 66.

Ratio prima D. Gregorius; ut nemo sibi de felicitate blandiatur.

Urget difficultatem D. Gregorius, eique enodanda lucem aliquam rationemque praefert, quae non parum felicium animos domet, voluptatemque nimiam infringat & temperet. Audi Gregorium. Cum bonis hic bene est, & malis male; incertum est valde, utrum boni idcirco bona accipiant, ut prouocati ad aliquid melius crescant; an iusto latentique Dei Iudicio, hic suorum operum remunerationem recipiant, ut a premiis vite sequentis inanescant; & utrum malos, idcirco aduersa feriant, ut se ab aeternis suppliciis corrigendo defendant; an hic eorum poena incipiat, ut quandoque complenda, eos ad ultima gehennae tormenta perducant. Ideo, inquit, iustis felicitas semper suspecta est: verentur enim ne mercedem, quam in caelis expectant, hic caelo excludendi recipiant. Unde fit, verba Gregorij sunt, ut sancti viri magis in hoc mundo prospera, quam aduersa formident. Ratio D. Gregorij, si hominem attendas, optima est; cum enim incertum nobis sit, quem tandem exitum sortiturae sint res nostrae; suspecta semper nobis esse potest, praesertim nimia prosperitas, ne ea sola sit merces operum. Atque hinc conijcere licet, quae ea tandem sint bona, quae tam tristem nata sunt ingerere suspicionem.

23.

D. Greg.  
s. Mor.  
c. 1.

Ratio 2. D. Augustini, ut discamus esse bona bonis propria, & mala propria mala.

Verum, cum Deo sit perspicuum qui demum felicem habituri sint, vitae exitum, qui vero infelicem; adhuc id explicandum restat, cui non omnibus bonis bona, malis autem mala tribuerit. Si enim terrena felicitas bona est, certe non aliqui profus boni, ab ea penitus fuerant excludendi: sin mala, omnes plane mali, & non aliqui tantum illa fuerant castigandi. Hunc nodum

24.

Aug. l. 20: dum sic, & sanè feliciter, soluit Augustinus. *Quamvis ergo nesciamus, quomodo Deus ista faciat vel fieri sinat, apud quem summa virtus est, summa sapientia, summaque iustitia; salubriter tamen discimus, non magni pendere seu bona seu mala, que videmus esse bonis malisque communia: & illa bona querere, que bonorum, atque illa mala maxime fugere, que propria sunt malorum.* Quæ demum ista? sanè, virtus animi, diuinæque Gratia, tam quæ actualis dicitur, quam quæ habitualis est, animamque sanctam facit, & ius Gloriæ tribuit, in hac vitâ sola bona sunt, bonis propria: in futura verò, ipsa Gloriæ consecutio. neque præter hæc, vlla bona sunt, quæ boni tam præclarò nomine mereantur appellari. Iniustis propria mala sunt, mala mentis affectio, peccatum, & hoc consequens Gratiæ sanctificantis; hoc est, iuris ad cælestè regnum amissio, perpetua denique peccati merces, condemnatio. hæc mala adeò mala sunt, vt sola mala sint.

25. At quis id eredet, inquires? nemo non aliter sentit. Sic est. Verum cum bonitatem peruersitatemque rerum discernere Dei solus sit, cui, quid quæque res sit, intimè & soli penitus est perspectum; eius certè, nisi decipi volumus, iudiciò decidenda est hæc res, & non opinione vulgi, temerariò rerum arbitriò. Igitur quid iudicat Deus? vide quid egerit. malis dat hæc quæ tu dicis bona, nec tamen omnibus; mala itidem, vt vulgus ea appellat, bonis inmitit, nec tamen omnibus, nec etiam solis. Cur id agit? dicam cum Senecâ, nescio an ex commercio cum D. Paulo, lumen ei aliquod naturam superans adhæferit. Hoc, inquit, est propositum Deo, sapienti viro ostendere, hæc quæ vulgus appetit, quæ reformidat, nec bona esse nec mala: apparebunt autem bona esse, si illa non nisi bonis viris tribuerit; & mala esse, si malis tantum erogauerit. Quid præclariùs commendandæ Dei Providentiæ dici potest? quid ad rectè de rebus ex Dei mente iudicandum, afferri poterat illustrius?

26. Nugæ sunt profectò, & ad triuia, stolidamque sæcem omnia tumultu peragentem, ablegandæ sunt hæc voces; mala est paupertas, mala liberorum amissio, mala dignitatis iactura, mala plebis seruitus, mala agrotudo, mala mors. Neque minus illæ corrigendæ sunt, quibus recta valetudo, honores, diuitiæ, corporis commoda, liberorum procreatio, & cætera his similia, à vulgo Bona per errorem sanè grauissimum, nominari solent. Ex-

Ratio 3.  
Seneca, vt  
ostendat  
Deus, hæc  
quæ vulgo  
vocantur  
bona &  
mala, non  
esse quod  
vocantur.

Hoc probatur.

pungenda, inquam, sunt hæc nomina, quæ nihil habent rei, apparatus verò mendacique plurimum. Hoc certè nos doceat Dei, ea prout sunt & non prout appellantur, distribuentis auctoritas. Si enim accuratius rem perpendimus; certè si bona ea essent, vera & sincera, quæ vulgus inconditum dicit bona, an ea sinceris sibi que dilectissimis amicis, hostibus suis danda, subtraheret; amicitia tam exactus cultor Deus? Rursum, si vera mala sint quæ passim dicuntur mala, an non illa hostibus suis puniendis impenderet, quibus iam amicissimi quemque sæpenumerò exercet? Denique si bona sint quæ vocas bona, an ea quibusdam amicis tantum, nec tamen maximis, impertiret; his vero quibus familiarissimè utitur prorsus inuideret? Absit hoc à Deo si iustus est, si sincerus est, si amicis verè amicus est. Quòd cum certè sit, & ita quidem sit, vt non possit non esse id quod est, cumque putatitia illa tum bona tum mala, passim bonos inter malosque dispersa à Deo, sic quasi temerè, videamus; fateamur certè, neque morbos mala esse, neque tentationes mala, nec egestatem, nec aduersam fortunam, vera mala esse; nec rursum prosperam sortem, diuitias, delicias corporis, commodam valetudinem, honores, & quidquid natura adamat, esse vera & solida bona. Res manifesta est, de nomine laboramus. Vt quid ergo tam honestò nomine passim compellantur? Dicam: quia passim gaudemus decipi, & decepti in errorem alios trahere; ne soli decipiamur, mendacia nobis inuicem miseri imponimus, & quod miserrimum est, mendacis delectamur. Vt autem mendacio fucum detrahat, promiscuè tum bona tum mala distribuit, æquus rerum expensor Deus.

Tantum instrumenta sunt unde facias bene vel male.

Quid ergo sunt, inquires, si nec bona sunt, nec mala sunt? illico respondeo, instrumenta sunt quibus mala possis agere, & verò etiam bona. Quis enim id mihi persuadeat, diuitias mala esse, quibus video humana commercia sustineri, tot opera pietatis misericordiaque exhiberi, templa construi, religionisque dignitatem sustentari? Quis verò ea mihi bona esse obtulerit, cum illud liquidò constet, ex iis rixas fere omnes, lites, periuria, inimicitias priuatas inter homines, inter Principes verò bella etiam crudelissima exoriri? Contra verò quis paupertatem mihi, tanquam bonum, rectè commendauerit, quam tot furtis, tot rapinis, tot homicidiis prouinciarumque deprædationibus ansam dare,

27.



date, quotidie experimur? Rursus quis Malum esse paupertatem asseruerit, ex quâ omnis in Republicâ officiorum, artiumque nata est varietas, prout sequenti Tractatu demonstrabimus? Tandem clarè id perspicio, per morbos, per ærumnas, per egestatem, per omnia denique quæ dicuntur mala, plurimos cælum petere, & obtinere; plurimos etiam miseras has, æternis commutare. Neque id etiam obscurum est, sed planè manifestum, diuitias, honoresque quibus plurimi ad inferos degrauantur, aliis id felicitatis præstitisse, vt perituris aliquando diuitiis, æternas numquam extinguendas emerint & compararint.

Quod ser-  
go bonis  
male uti-  
tur impij,  
non id Deo  
imputan-  
dum sed  
vitijs utre-  
tium.

28. Quid ergo tandem dicendum est, quomodo loquendum? Sic statue & dic, omnia & bona esse posse & mala: bona, si bene iis utaris; si male, mala. Mala itaque non sunt, sed cum sunt, tu facis mala: bona verò cum fuerint, bona certè vt essent, tu fecisti. Rectissimè Augustinus: *Omnia ista bona sunt, sed unde facias bene, non quæ te faciant bonum.* Addamus nos: tum verò si es bonus tu, si ex eis, aut per ea facias bene. Penicillus neque bonum facit pictorem, neque adeò malum; bonus vrcumque sit, malusque vt vulgò loquimur penicillus. Illo qui bene utitur, bonus est Pictor, qui malè, malus: neque præstantia instrumenti artificem commendat, sed rectus vsus. Ita sunt omnia: instrumenta sunt, vsus verò bonus an malus vt sit, id penes te est. Non igitur mihi post hac importunus quisquam obstrepat, quæratque cur Bona Deus, hoc est, instrumenta virtutum cur promiscuè bonos inter & malos distribuerit. Illud si vult petat, cur tam peruersè instrumentis sibi à Deo subministratis utantur scelerati; & hoc in Domini sui dedecus, suamque perniciem conuertant, quò bene laudabiliterque poterant frui. Tum verò statim regeram, id quidem ex maleuolo hominis arbitrio, maloque libertatis ingenitæ vsu ortum trahere, non verò ex hoc capite, quod non summâ cum prudentiâ, summoque consiliò, vt iam vidimus, hæc quæ vulgus vocat bona aut mala, bonos inter & malos promiscuè fuerint distributa. Maneat igitur, diuisionem hanc tam æqualiter inæqualem, bene recteque institutam.

Aug. ser.  
3 de 98.  
in noc.

Z 3 2. VI.



...quibus experientia...  
 ...ex deo...  
 ...VI.

Ostenditur divisionem illam fortunarum aliter institui non debuisse, adeoque nec potuisse, nisi eò modo quò iam facta est. Itaque ne felicitati aliena inuide, & alienis malis acquiesce.

Acquiescendum est divisioni bonorum & malorum prout auctor est facta a Deo.

Probat, quia nemo homo cæpax est, qui sigillatim & bene, quin imò aliter ea distribuatur.

29. Quid iam vobis est animi, quis sensus Auditores? an posthæc tritum illud sed vt parum dicam, temerarium oggeretis, Quare via impiorum prosperatur? acquiescerisne iudicio illius qui dat omnibus prout vult, neque vult quidquam, nisi quod æquum est? Bene est. Alijs tamen lubet ascendere: non enim diuisionem hanc fortunarum tam promiscuam, iustam solum esse contendendo, sed nec aliam esse debuisse, adeoque nec potuisse, aliter institui. Causæ securus, id constanter assero.

30. Hic vero subrides tu, fat scio, humeros contrahis, supercilium eleuas & frontem rugas. Aliquid, vt video, hic tibi non placet; non vique quæque a Deo actum est bene. Verum age, conseramus manus si placet. An vero tu, superciliose Censor, cui nullum non admordere sunt delicta; an tu tibi tam amice abblandis, vt fortunam cuique suam, te melius consignaturum fuisse tibi persuadeas? Tentanda sane hæc res est, erroremque scum si fieri potest, dedocendus tandem Deus. Illud itaque sic statue, omnes omnino quotquot in orbe sunt diuitiæ, omne aurum argentumque quod aut fert India, aut quod ex terræ visceribus hactenus erutum toto vagatur orbe, penes te esse sequestratum: nihil pretiosi esse, quod non in manu tuâ sit erogare, distribuere, retinere prout libitum fuerit: cæteros omnes pauperes esse, omnium egenos, nihilque expectare nisi a te. An tibi sat virum, imò sat sensus & iudicij esse arbitraris, diuisionem hanc qui possis, non dico absoluere, sed vel instituere & inchoare? Si non; quid conuerteris id factum, quod vt velis, emendare tamen non possis? Si etiam; itaque rem ordite, si placet, neque iam verbis, sed rebus ipsis dirimamus rem.

Ostenditur id experientia facta ad rem.

31. Dic igitur sodes. Quis primus esset, cui diuitias assignares? Egomet ipse, inquis. Facis profecto non illepidè: à se ipso enim charitas incipit, ordinata vt sit. Verum quantum aris, quantum auri

auri & argenti ex totâ congerie extraheres, tuosque in thesauros consignares? Quot festertium millia? auri quot milliones? non enim nisi unâ tantum vice potes eligere, ne numquam absol-uamus rem. Quid hæres in ipso limine? quid tam cito dubitas? an iam subducendi sunt calculi? an prius statuendum, quantam habiturus sis familiam, quot procreaturus sis liberos, quam obi-turus dignitatem, quæ expensæ faciendæ, priusquam id scias quæ tibi sint sumptibus sustenturæ diuitiæ? Id verò si prius sta-tuendum est tibi, age cogita tecum ipse, antequam de te quid statuas. Verùm ut totius orbis expectationi facias satis, te pro hæc opportunitate præterito, ad prospiciendum cæteris abea-mus, ne totus, si diu morandum est, in te irruat offensus orbis. Si tamen de te ipso statuere certi quid non possis, quid alijs fa-cturus sis, facilis iam est coniectura. Pergamus tandem ad cæ-teros.

32. Dic saltem amabo; quis ex omnibus quotquot sunt homini-bus, à te secundus erit, cui partem suam munificus assignes? Quid rursus hîc circumspicis, quem tandem designas oculis? En fratrem tuum hîc penes te: nullus sanè hîc tibi coniunctior naturâ & sanguine. Quid caput moues? Frater, inquis, est, at noui fratrem: eum nempe qui mihi parentum amorem blandi-ciis falsimoniiisque subtraxit perfidus; iam me adorât, à me cum totus pendet. Noui ingenium viri, hercle, indonatus mihi abibit hodie; recedat modò, cras videro. Næ tu elatò nunc es animò vir bonè, fortunarum factus arbiter. Verùm si tam citò lites moueantur & iurgia, quando demum finienda est hæc distribu-tio, quam ne quidem datur incipere? An non hîc expectandæ sunt totius orbis querimonîæ & clamores execrantis te reipub-licæ, laboranti mundo quòd non subuenis?

33. Verùm stultus ego sim & demens, lateri tuo si adhæream, speremque te quidquam acturum rectè, nisi prius quid cuiusque ferat genius, quid necessitas, quid filiorum futura multitudo, quid vnicuiusque ætas, quid vitæ diurnitas, quid dignitatis ra-tio, quid bellorum impetus, quid fortunæ futura varietas, quid negotiorum euentus, quid hominum bonis insidiantium perfid-ia, sint allatura, probe penitusque perspexeris. Hæc autem omnia perspicere te posse putas, homo minimæ mentis, & pro-iectæ audaciæ? sine quæso, sine Deum agere res suas, imò &

*Est incapaci-tas ho-minû pro-batur à priori.*

tuas,

tuas, momenta cui omnia, necessitatesque penitus sunt conspicua. Agat ille prout placuerit, qui agit omnia *in pondere & mensura*, qui *gratias suas diuisit prout vult*, vult autem quod videt viribus, genio, naturæ, tempori, maxime accommodatum; quod æternæ salutis procurandæ maxime conueniens. Ad has leges omnia attemperauit; has quia non attendimus, ad omnia cœcutimus, nec tamen cœcitatē præfracti agnoscimus.

Lubet tamen eam prorsus detegere. Adhuc enim, obmurmuras, sat scio, illudque tibi ipsi tacitus dicis, saltem illi (& aliquem mente designas) bona tanta non committerem, in manu si foret meâ. Sceleratus est, impius est, fastus nimis deprimendus est. Bene habet; verum & hoc quoque alius de tertio conqueritur, alius de quarto; & sic denique nemo homo est, qui non queritur; nemo homo, de quo querimoniam non deponuntur. Quod si querelæ iustæ sunt, sanè nihil in toto rerum ordine, à Deo factum est iustè. Igitur emendemus omnia, restituamus ordinem, & ne querelis detur locus, studia conferamus, iustamque tandem instituiamus rerum omnium diuisionem. Attendite nunc quotquot estis mortales: sacer Senatus iam coactus est; res intus agitur magna: de lege inquam agrariâ, & argentariâ, Senatus humani consulto, peremptoria ferenda est sententia.

Et ut ordine tota causâ deducatur, illud prius ad iudicium reuocandum est, an licet diuitiæ fortunæque non malè fortassis Deus, malos inter bonosque promiscuè dispertierit, non congruentius saltem, meliusque vni tantum ordini fuissent assignandæ. Nam quod non malè, imò benè factum est, melius tamen fieri posse, non repugnat. Itaque irritemus distributionem Dei, omnibusque detrahamus bona omnia, imò & mala. Istud iam in quæstione est, non cui danda sigillatim, nam id nimis longæ consultationis est, uti vidimus, sed cui ordini. An solis omnibusque bonis bona, an verò bonis omnibus solisque mala: malis autem an solis bona, an solis danda sint malis mala. Nihil enim amplius quærendum restat, nec alia inuenietur diuisio, præter eam quæ iam est. Proposita est quæstio. Igitur si placet, arbitrare; & vide an non in maximas implicandus sis difficultates. Dic tamen sententiam.

*Mala non esse danda solis malis*

Ego verò, inquis, sic statuo, manifestam esse rem. Bona certè omnia malis & peruersis omnibus abiudicantur; malis verò & calam-

calamitatibus, omnes omnino opprimuntur, sic iudicò sic statuo. Quis enim dementi arma non eripiat, quibus & se & alios in perniciem, iis malè vsurus trahat? Ita tu, & quidem magnò fastu. At verò, an id è re publicâ futurum putas, & verò etiam quod maximè spectandum est, è re Diuini Numinis? Quis id dubitat inquis? Imprimis ego. Si enim modò tot beneficiis allecti à Deo & implicati peccatores, nihilominus tam impudentes sunt, vt barbarum in morem ei rebelles sint, eiusque tam sancta imperia detrectent; in quantam eos impudentiam abituros censes, si iniuriis à Deo se peti existiment; existimaturi procul dubio, si cuncta sibi bona eripi persentiscant, & præterea non ferendis calamitatibus inuolui? Effrontem si se mendicus præbeat eleemosynam lautam cum accepit, benefactorisque sui oculos impudenter inuolet; quid demum ab hoc scelesto capite expectari potest, indonatus si dimittatur, & quod peius est multatatus malè? Non igitur è re & honore Dei erit ista diuisio.

*probaturs  
quia id nō  
erit ex ho-  
nore Dei.*

37. Non etiam è re publicâ: si enim modò scelerati illi, cum diuitiis abundant, nullaque vllius rei nisi virtutis penuriâ premantur, de impietate tamen suâ non erubescant, fraudes conscientiam reclamante nihilominus texant, iustitiam corrumpant, & pessumdent: quid demum illi, paupertate extremâ cogente, non audeant? Certè cum in omne nefas proiectum sit eiusmodi hominum genus, neque quid conscientia dicet, quidue Deus imperet, magnopere soleant attendere; furtis, latrociniiis, & bonorum deprædationibus complebuntur omnia: sceleribusque tantis necessitas & paupertas, neque planè abs re, prætexetur.

*Nec ex bo-  
no rei pu-  
blica.*

38. Video, inquires, erraui. Bona itaque, ne pessimi euadant qui mali sunt, sceleratis omnibus, & solis posthac, & quidem profusè ingeruntur. Quid enim? Sæpius sanè me audisse memini, & verò etiam sacræ Paginæ testimoniis comprobari, diuitias ruinæ causam optimis cæteroquin viris, sæpenumerò præbuisse. Subtrahenda igitur ipsis est mali occasio, vt semper boni sint. Scelerati verò cum iam orco se deuouerint, ea possideant, nocere possessori quæ possint. Neque si supplicia æterna, quæ eufuri non sunt, malefactis augeant, curandum est magnoperè.

*Non etiam  
soli malis  
bona dāda  
sunt.*

39. Priori hic arbitratus non est absimilis. Quis enim non videat, quòd si nemo diues esse posthac possit, nisi sit sceleratus, sceleratos illico fore quamplurimos, vt sint diuites? quod si

A a

iam,

iam, vbi bonis esse datur & simul diuitibus, multi nihilominus, vt diuitias sibi parent, sectantur scelera; quid tum futurum reris, cum ad opes non nisi per scelera patebit via? In finitos sanè à rectò virtutis tramite auocabit, & in omne vitium naturâ suâ procliuēs præcipitabit, certa illa sceleratisque solis proposita diuitiarum spes. Fatere igitur iterum errasse te, & nec malis solis bona, nec adeò solis & omnibus mala esse ingerenda.

Neque omnibus iniuste danda sunt bona.

At cum bonis tam benè affici videare, neque absque causâ, cum & te inter bonos sine dubio connumereres; quid illis agendum censes? Diuitesne vis vt sint omnes, an vt omnes pauperes? Diuites, inquis, vt sint volo, & quidem omnes, & quidem solos. Intellego; rem tuam agis, & pro domo tuâ; nam inter bonos te recenseres. Sed pace tuâ dixerim, id certè Deo non erit vsque adeo honorabile: infinita enim hominum congeries, honestatis virtutisque partibus adiiciet animum, non vt Deo, sed vt cupiditati suæ obsequantur; nec iam piè Deo viuetur, sed diuitiis, quod rectè Augustinus admonet: *Permixta inquit ista temporalia Deus esse voluit: quia si bonis solis ea daret, putarent & mali propter hæc colendum Deum, quod sanè si rectè expendis, non est Deum colere sed se.* Adde, si vt rectè paulo ante monuisti, boni omnes essent opulenti non omnes in arrepto virtutis tramite perseveraturos. Multos enim diuitiæ perdidere; neque omnes eò sunt cecèbrò, vt sine capitis vertigine fauentem fortunæ auram sustinere diu queant. Augerent itaque, vt vides, diuitiæ bonis omnibus passim & temerè concessæ malorum numerum; & sic cum bonis fauimus, multiplicamus malos.

Nec etiam omnibus bonis inreuerentia mala.

Pauperes ergo sint omnes, inquis, vt semper boni sint. Votum bonum est fateor, sententia vero non bona, imò perniciofa quàm quæ maximè. Nam si nunc, quando boni, vitæ huius commodis opibusque minimè excluduntur, tam pauci tamen sunt Deum virtutemque qui sincerè colant, quàm paucos tunc futuros arbitraris, vbi sanctos mores certò certius consecutura est misera paupertas? Quis tum malus peruersam vitam in meliorem commutabit, & ad bonorum ordinem transfiliet, si illico ex opulento futurus est miserrimus, & vt bonorum numero adscribatur, dimittenda videat bona, quæ non nisi sceleratis fas sit possidere? Interim si bonorum nemo diues, nemo potens, nemo opulentus, quis Religionem fouebit opibus? quis templa con-

Aug. in  
Psal. 66.

40

struet, quis dotabit sacras domos, quis altaria procurabit? sceleratis scilicet impiisque hominibus ea incumbet cura. Ipsorum denique tyrannidi quis resistet, si nemo potens bonus? quis eorum impudentiæ se opponet; quis virtutis defensor, quis solatio oppressis futurus, si nemo iustorum potentiæ quidquam habeat, & omnis cum diuitiis, vti fieri assolet, auctoritas, omnis vis, omne imperium, ad solos impios fuerint deuoluta? Vides iam certè, si quidquam vides, neque malos omnes pauperes esse posse, neque omnes diuites: & longè minùs, bonos rectosque homines, aut omnes diuitiis cumulandos, aut paupertate omnes miseris esse implicandos.

42. *¶* Video inquires, sed quid agam? quo me vertam? illud tantùm occurrit modò, vt omnium fortunatum æqualis fiat inter omnes diuisio. omnes pari gradu sint, diuites, opulenti, & felices; nec quidquam sibi detractum obmurmurent boni, nec quidquam bonis adiectum conquerantur mali: tum sanè cessabunt indignantium voces, obstructæque argento querimoniæ contutescent. Verùm vtinam tacuisses tu ipse vir minimè male! Hic enimvero omnium quos protulisti dementissimus est arbitratus, prout secuturo Tractatu planum faciam. Omnia dum æquas, perturbas omnia; & dum cuncta facis paria, peruertis singula, & perdis vniuersa. Hæc porro deinceps, vti dixi: nam dissoluedus est in præsentiarum hic hominum cuncta arrodentium ridiculus Senatus. cras agentur reliqua.

43. Illud tantùm nunc ex hac ratiocinatione colligam, abs re esse quòd me aliena felicitas, aut etiam aduersa fortuna angat, sollicitum habeat, & perturbet. Rursus ab omni ratione longè alienos esse sermones illos, quibus otiosi quærimus, cur boni deprimantur, cur mali floreat: cur si aliquibus bonis bene sit ab opibus, & à re domesticâ, non sit omnibus: cur si malis aliquando futurum est malè, non sit modò: cur si plectantur aliqui, non castigentur vniuersi? illud enim iam ostensum est, vniuersim magno consilio & sanâ ratione, sceleratissimo cuique spes etiam maximas fuisse ingestas: deinde etiam, non aliâ quam tam inæquali malos inter bonosque fortitione, bona vel debuisse distribui, vel etiam potuisse. Quòd si verò veritatis huius vim percipio, tum sanè huius scelesti & illius impij, & tertij nimium insolentis felicitati, opibusque quantumcumque flagitiosi homi-

*Itaque nemi-  
mini felici-  
tatem  
quam ha-  
bet inuide.*

nis facile acquiescam; nec inuidebo. Si malus est, & tamen diues; diues est, vt bene faciat, & tandem bonus fiat: felicem facit Deus, vt ad suum obsequium beneficiis peruersum alliciat. Obsequi si noluerit, aliqua eius bona remuneratur, ne quidquam in extremo iudicio possit exigere, vbi plena scelerum ineunda est ratio, & integra suppliciorum subeunda est mensura. Quid nunc nequidquam turbor? *intelligam in nouissimis eorum.* isthic toti mundo fiet perspicuum, non nisi prouidentissimâ Dei ordinatione, hæc sic fuisse disposita; sanctissimâque prorsus ratione id factum, vt rationes Diuinæ Prouidentiz nos laterent. Prouidentiam hanc colo, & securus sum; hanc veneror & felix sum; hanc adoro & beatus sum. Omnia sic fecit, qui fecit omnia; & vt faceret omnia, sic esse voluit singula. Iustus est, qui suum cuique dat; Prouidus, qui cuncta recte ordinat; Sanctus, qui non nisi rectissimum finem operibus suis habet præfixum. Itaque *Benedicite omnia opera Domini, Dominum, & quidem Ex hoc Nunc ignorantia mea, vsque in seculum.*



TRACTA-



## TRACTATUS VIII.

Parvum & magnum ipse fecit: & æqualiter est  
illi cura de omnibus. Sap. 6.

*Ostenditur & bonos & malos promiscuè inter se habi-  
tare debuisse. item non bona fortuna modo, sed &  
dotes corporis & animi hominibus non equaliter  
debuisse dari. Itaque ne te affligant defectus, nec  
miseria aliena, aut etiam propria.*

## P R O O E M I V M.

**D**E omnibus curam æqualem quod gerat, nullius  
personæ exceptor Deus, tam id quidem verum  
est, quam verax est ipse Deus, qui id suo ore re-  
stat, & verò etiam factis comprobatur. At quis  
id sibi persuaserit, inquit, qui tantam non in  
reliquis modo creaturis, sed & inter homines  
ipsum rerum omnium, non fortunarum modo, sed & corporum,  
ingeniorumque varietatem attendit? An verò eandem filiis suis  
curam adhibere censebitur parens, qui vnum quidem studiis  
magno impendio applicat, alterum verò ad quiesquillas, & ple-  
beiorum faciem abiicit, ut laborando malignè victitet? si pater  
est communis, communes si sint filij, cur non communis fa-  
vor? Hæc Deum rursus impetit querimonia. Audienda est om-  
nino, & porro detergenda. Quod ut ordine agam, prout præce-  
denti Tractatu de fortunæ bonis egimus, ostendimusque ea ne-  
que bonis neque malis solis potuisse erogari, sed promiscuè, ita  
& hoc ipsum magis dilucidandum est, & demonstrandum præ-  
terea, hoc quoque omnibus tum corporis tum animi dotibus  
prorsus convenire. Ostendam verò sine hæc ingeniorum, indo-  
lis, humorum, corporum, conditionum varietate, nec orbem su-  
stantari

stentari potuisse; nec verò etiam hominum æternam salutem conuenientius potuisse procurari. Ex quò illud fiet consequens, neminem alienis malis, seu ex naturæ vitio, prout sunt fastidiosi conuiuentium mores, seu etiam ex fortunæ mutatione oriantur, imò ne suis quidem debere quemquam magnoperè perturbari.

## S. I.

*Proponitur ingens hominum, non fortunis modo, sed naturæ dotibus, moribus, indole, ingenio inter se differentium, & nihilominus inter se promiscue habitantium varietas, multarum perturbationum causa; verum homines inter se tam varios, promiscue sibi conuiuere debuisse ostenditur.*

*Proponitur querela, quod in hominibus qui tamen naturæ pares sunt, tanta se nihilominus, diffinitudo,*

*In bonis fortuna.*

**G**Ratias omnino maximas, iniustis licet hominum de Dei Prouidentiâ conquerentium vocibus: quò enim querimonias magis accumulans, easque accuratius expendo, eò magis illa mihi, pleniusque elucescit. Iniuriam sanè maximam humano generi fecisse videtur Deus, dona sua, naturæ inquam munerata, tantâ inæqualitate inter homines quòd disperferit; iniquum enim est, inter æquales æqualitatem non seruari. At ego id assero, nunquam æquorem se hominibus præstitisse Deum: æquissimumque fuisse, varietatem tantam & inæqualitatem, quòd induxerit. Quòd clarè vt expendam, audiendæ sunt prius conquerentium voces; ne nullitent denuò inauditos esse condemnatos se.

An non id stupendum inquires, quòd cum homines primâ originè & naturâ pares sint, tam impares tamen esse non fortunæ modo, sed & animi corporisque dotibus? quasi si natura, quæ omnium communis mater est, non paucis fuerit rigida nouerca. Hæc quidem perturbationum inter nos, & non minima est origo. Quid enim? imprimis (inde tamen id consequitur) vnus pauper est alter diues; quòd quidem fortunæ est. Tamen vt vt sit, vnus commodis vndique diffluit, lautè comedit, stertit sine curis, fora obambulat nullius rei sollicitus, latè imperat, seruos habet ad nutum obsequentes; denique viuit, oblectatur curis vacuus,

vacuus, deliciarum plenus. Alter interim non viuit, sed ad di-  
menſum quotidie victitat, nullus ei prouentus niſi quem manus  
rigidæ calliſque dant obductæ; nullus ei fructus prouenit niſi  
quem figauit immanis ſudor; & tamen homines ſunt naturâ pa-  
res, conditione ſimiles.

3. Deinde, vnus quidem vir eſt, hoc eſt, robuſto virilique corpo-  
re; alter famina plurimis certè, præ viro, corporis implicata in-  
commodis. Et inter hos iterum ſumma eſt varietas. Aliqui nam-  
que, membris ſunt benè compactis, bonâ valerudine, corpore  
contra aëris inclementiam probè firmato; alii, carne tam  
flaccidâ, viribus tam remiſſis, capite tam poroſo, vt minimâ  
perſentur aurâ, & in cathartos toti diſſuant; Ah non tamen ex  
eâdem omnes eruti terræ maſſâ; qui ſit ergo, vt in tam diſpares  
teſtas lutum tam ſimile, idem planè ſigulus coegerit? certe pa-  
ria eademque, pari modo eodemque labore poterat efformare.

*In corporis  
robor eſt  
conſtitutio-  
ne.*

4. Præter hæc, quanta Deus bone in ſingulis eſt geniorum, inge-  
niorumque diuerſitas! ſtupidus hic nihil percipit, nad omnia  
cœcutit, merum ſtuporem dixeris; alter perſpicaciſſimi eſt inge-  
nij. Rurſus inter hos, mira multis facilisque in pereipiendis  
rebus eſt agilitas, ſed in retinendis fallaciſſima memoria; alijs  
ingenium ſit licet tardius, peruadunt tamen ſtudio & perſum-  
punt omnia, eaque quæ ſemel mente complexi ſunt, memoriâ  
retinent tenaciſſimâ. Rurſus non omnibus ſtudijs, eadem eod-  
dem modo apta ſunt ingenia; quædam his, his alia percolendis  
magis ſunt accommoda. Denique qui bono valet ingenio, iu-  
dicio ſæpè eſt exiguo, ſæpè exotico, ſæpius nullo: quibus in per-  
cipiendo ingenium, & iudicium in diſcernendo, non raro de eſt  
memoria; & tandem quibus eſt animus ad omnia compoſitus,  
ijs de eſt corporis valetudo; anima agentis neceſſariam inſtrui-  
mentum.

*In ingenio  
eſt anima  
dotibus.*

5. At verò magnum illud geniorum, indolis, morum, animo-  
rum ad varia inclinatum diſſidium inter homines qui conſi-  
derat, id fanè inueniet, ne duos quidem reperiit in toto terra-  
rum orbe ſibi conſtantes, ſibi que ſimiles. Id verò quis ferat?  
hinc iurgia, hinc diſſidia, hinc auerſiones mentium, hinc ani-  
morum perturbationes. Vnus enim faceto liberalique eſt inge-  
nio, alter malancolico, ſibi aliſque retrico; ille iocis delectatur  
& cantibus, hinc iſta ſaſtidio ſunt, lacrymis oblectandum cre-  
das.

*In moribus  
eſt animi  
diſpoſitio  
ad diſſe-  
quendum  
vniuersum  
genus  
humani.*

das: hic tardus est linguâ, manibus remissus, toto corpore len-  
 tus & frigidus, neque facile hominem moueas nisi vi propulsum;  
 ille vegetus, alacris sanguine, in agendo celer, fertur suo genio  
 promptus ad omnia, sibi semper similis, semper lætus. Illum si  
 tacillum moueas, illico in ignes dissilit, in furias agitur abreptus  
 irâ; hunc omnibus cōmendat ingenita mansuetudo. Illum comi-  
 ras, affabilitas, facilisque genius cunctis charum faciunt & ama-  
 bilem; hunc verò rusticitas, inconditi corporis motus, insulsi que  
 gestus cunctis inuisum reddant, in syluas ablegandum procla-  
 mant omnes, vbi *Rudi puer excidit abno.* En quanta hominum  
 varietas, quàm dispar omnium cōditio. Et inter hos dum vi-  
 uitur, quis possit placidè viuere?

de agere ad  
 re & videri  
 manifestum  
 est

Imò in co-  
 dem homi-  
 ne, pro re-  
 et varie.  
 Ecce tanta  
 variatio,  
 audib.

Lamentari, vt video, rursus incipis. Verùm an dixisti omnia?  
 an omnem mouisti lapidem? Haud reor; nam illud prætermi-  
 sisse non debueras, quod tamen maximum querimonijs tuis da-  
 bit pondus; diuersitatem hanc tam variam tamque intolerabi-  
 lem, non in diuersis modo hominibus reperiri; sed quod pessim-  
 um est, & in vno eodemque homine, pro rerum temporumque  
 varietate, varios reperiri homines, inter se maximè dissidentes,  
 semper varios, rarò eodè. Hæc sanè res est, vt feratur, diffi-  
 cillima; quæque rectam conuiuentium societatem, imò ciuitatū  
 ordinationem probam, ciuiumque coniunctionem reddit pro-  
 fus difficilem. Si enim suis homines moribus constarent, ge-  
 nioque constanter & mordicus inhaerent, scio ego, inquis tu,  
 quò pacto forent omnia ordinanda. Ain verò scis? age porrò,  
 ordina.

Huic incō-  
 modo sul-  
 tū credū  
 obuiari  
 posse, si si-  
 milia genij  
 homines  
 simul ha-  
 bitent.

Quod si, inquis, melancholico qui sunt genio semper tales fo-  
 genti, qui lætâ indole semper læti, iracundi semper colerici, ad  
 studia propensum semper sibi constantes & sic deinceps; tūm sanè  
 ciuitatem totam in compita vicosque diuiderem ego, statue-  
 remque, vt omnes, qui eiusdem genij sunt, iisdem in vicis quasi  
 tributim habitarent, vt modò solent veteramentarij, veterum-  
 que vestium interpolatores. Sic ergo Iouiales illos genijque le-  
 pidi homines, in vnum vicum compingerem; isthuc musicos,  
 isthuc cytharædos, isthuc viatores, isthuc vina, isthuc coquos,  
 isthuc bellaria, isthuc parasitos, isthuc aleas, isthuc tessulas, om-  
 niaque oblectamentorum genera per classes suas ritè dispone-  
 rem. Sanè sic compositi viuere poterunt pro genio suo, cantare  
 ad

6.

7.

226

ad raiim vsque, saltare dum toto corpore sudor diffluat, idque sine tetricorum hominum murmurationibus aut impendio, qui sibi semper occlamant obtundi caput, cum quis agit lepide, aut loquitur iucunde.

8. Deinde verò, hisce rectè ex sententiâ compositis, omnes illos Saturni æmulos, melancolicos, inquam, quibus nunquam ne sibi secum quidem conuenit; silicernia, terræ pondera, quibus caput nigris semper oppletum vaporibus & talento grauius in terram propendet, in extrema amandarem vrbis compita, Septentrioni, frigido nimirum vento maxime exposita? ijsque yespillones, libitinos, sandapilarios, & quotquot corporibus sepeliendis impendunt operam, interfererem; tetricos quoque rerum omnium indagatotes & censores, qui murmurandi materiam vndique conquirerent. Illic sanè admurmurarent, arroderent & se & omnia pro suo libitu; steterent, plangerent, lachrymarentur, sine audientium inuidiâ aut fastidiô: omnes enim eiusdem sunt genij.

9. Iam verò bellicosos illos, illos Martis pullos, quibus exastuat bilis, & ira est feruentior, quos bella delectant & iurgia, quis non iudicet vnâ compingendos? habitent certè inter eos cultrarij, ensium armorumque politores, per me licet, vt instrumenta genio suo apta ad manum habeant. Isthic narrare poterunt bella, & quibus interfuere prælia; isthic noua poterunt concitare bella, iurgari, clamare, & rixis miscere omnia; pugnare si libet denique, & mutuis sese vulneribus confodere. Agent certè pro suo genio, nec vllius nisi suo impendio.

10. Sapientes autem viros, non est dubium, quin vnâ necesse sit coniuere, vt conferant studia, vt se animent, vt extrâ strepitum sint tumultuosè debacchantium, vt moderatè agant inter se, & fructum quæsitæ & inuentæ iam sapientiæ securi percipiant. His verò bibliopolas, librorum excusores, librarios, amanuenses coniungi debere, non attinet me dicere; res ipsa loquitur. Funginos denique homines, ne sapientibus molesti sint, tetrica inquam capita, quibus cum parum sit rei, multum tamen verborum est; stultos aut semistultos clariùs dixerim, qui nihil non effutiunt, nunquam non garrunt, sine vllò aut ingenij, aut iudicij acumine, psittacos dicas aut loquaces picas, defultoriè, quod ob os venerit, proclamantes; hos inquam omnes ne Sa-

pietibus posthac obstrepant, in insanientium domum, aut si domus vna non sufficit (nec verò sufficet) vicum inquam integrum, eumque benè magnum, ablegandos omnino censeo. Isthic sibi sapiant, donec insaniunt. Hòc modò prouisum erit reipublicæ. Nunc verò vbi omnes habitant promiscuè, quid tandem tranquillitatis sperari possit? Sapit vir, insana est vxor; liberi scelerati, & in omnem voluptatem propensi domum complent clamoribus; turbatur iocantium cachinnis auus, multis iam ab annis putridus senecio; rixantur serui, insaniunt vicini. An hæc est forma, benè & in ordinem digestæ reipublicæ? quis id patienter ferat? cui, vt maximè velit, tot inter turbas dabitur esse tranquillo?

*Refutatur  
hæc insana  
distributio.*

Ah miseros nos mortales! vt desipimus, cùm nobis sapimus! quas non ineptias congerimus, cùm cogitationibus nostris ab-blandimur, iisque frænum remittimus! Verùm vt paucis hoc absoluaui, quod tantùm absurditate suâ nouitateque placere potest: dic quæso castrorum metator, vicorumque designator acutissime, in quò vicò tute tibi domicilium conquireres? Iniurius sanè sum homini, id qui rogo: hominem enim verò longè supra vulgus sapientem alloquor. Quis dubitet igitur, quin in sapientum vicò domus ei collocanda sit, & quidem non vulgaris: Ita sit, isthic habita. Iam verò, vxorem tuam in quem vicum amandabis? Rides hïc, sat scio, & ne de hæc quidem dubitari posse illico clamas: in insanientium, aut certè non rectè sapientium ingentem vicum, ablegandam prorsus, & quidem quântocyus. At quâ de causâ? Quia desipit inquis, aut quod parum distat, sapit vt læmina.

Am verò tu? & ego quidem cum bene calculos subdixi, aio in stultorum compita compingendum te; illam verò in sapientum esse deducendam vicum, & quidem honorificè; neque enim & isthic deessent fæmina. Miraris quod id asseram? rationemque exquiris? Dicam. Tam sapiens cum sis, omnia vt rectè potueris ordinare, certè stultam tibi copulasse fæminam, non nisi extremæ, id est dementiæ, quis id non videt? vxor autem tenuitatis suæ sibi conscia, sapientem virum qui sibi præsto foret, quòd delegerit, ea demum summa dicenda est sapientia, igitur si stultus est, sapuit stulte, cum tu sapienter desipis. Quid hïc repones? Ytrum vicum destinari tibi autumas? certe neutri es aptus, non

audiat

d d

insanien-

11.

12.

infanientium profectò, quia sapis hercle, sapis quàm qui maxime. non etiam sapientum; quia dum sic sapis, insipienter prorsus agis. Vos litem hanc domi quisque suæ, si vultis, dirimite. ego iam istud ago; aioque hinc ipsissimam rationem clarè deduci, cur tanta geniorum varietas, non in classes quæque suas sit distinguenda, verùm miscenda promiscuè: sic vt pauperes diuitibus, amani melancolicis, iracundis mansueti, incultis & rusticis vrbanis, malis bonis, sapientibus stulti, stupidi acutis intermixti, vnã pariter constituant, nec interpolatam habitatione rempublicam.

13. Nam, vt cætera taceam incommoda, quantam putas exorturam illico tumultuantium hominum tempestatem, vt executioni mandaretur hæc res? quis se rusticum, quis se iracundum, quis se melancolicum, quis se lentum, quis se insipientem fatebitur, cum nemo sibi non sit sapiens, nemo non mansuetus, nemo non elegans? sanè per vim sese mutuo è compitis eiicient homines, vt quisque quòd vult occupet; mutuisque sese vulneribus conficiant, de loco sibi debito dum disputatur: sicque confectus extinctusque erit orbis, antequam in suum ordinem rite sit discretus. En vt exercitum totum deles castrametator egregie, castra dum tam stultè dispungis & metaris.

14. Iam verò, vt dicere institueram, vt ita foret, totumque mortalium genus, in classes suas pro moribus, & genio cuiusque foret distinctum, tristesque tristibus, lætis læti, mali improbis, probis probi, irã eruentes iracundis, mansuetis mãsueti, stultis insipientes, sapientibus modeste sapientes cohabitarent, vnaque conuuerent; sit ita, per me licet. At quamdiu credis duraturum eiusmodi commercium? ne diem quidem vnicum. Tanta est enim, non hominum tantum, sed & vnus hominis varietas, vt vix vnã sibi constet horã; semper est varius. quòd diem hodie ducit lætus, crastinum tristis exiger; nunc bile, vel atrã, vel flauã vrigemur: nunc perplacent omnia, nunc displicemus ipsimet nobis; nunc cantus nos delectant, nunc auribus officiant; nunc ad omnia exporrecti & agiles, nunc nobismet-ipsis lumus oneri. Quòd si ergo pro geniorum, morumque diuersitate, designanda est habitatio, queridie mutandæ sunt ædes; neque quidpiam totã vrbe videbimus, nisi yltro citroque migrantium insanas discursationes.

*Neque possibile est, ob hominis inconstantiam & pro diuersitate rerum, vna varietatem.*

Ita est. vix vnquam vitiõ nostrõ id fumus quod fumus, aut esse quod debemus. præterquam quòd tanta præterea sit, non genij modo, sed & fortunæ nos circumstantis, morborum ingruentium, euentuum nos prementium varietas, vt iidem, licet maximè velimus, esse vix possimus. iam volumus quod nolimus; iam amplectimur quod horrebamus; iam timemus, iam amamus, alia semper atque alia; alij semper atque alij. voluitur & immutatur homo, *Et nunquam in eodem statu permanet.* Non igitur in mores aliorum quibuscum tibi conuiuendum est, perturbationis uæ causam reice, sed in tuos. Neque illud oggeras cum tali mihi pax esset, illi viro pacificè coniuerem, hæc vxor ex meo genio esset, cum hoc amico vitam ducerem iucundissimam, tranquillitas foret æterna. Erras inquam, erras quàm qui maximè. nam & tuus tibi mutatur genius, & is qui modò perplacet amicus, mutatur vt tu; nam & homo est similis tui, varietati vt tu obnoxius. Consonent, licet fides, dulcemque edant sibi consonæ symphoniam; quid tamen concentûs ab iis exspectari potest, si mutantur singulæ, nec statum, quem ars dedit, mordicis retineant? remittit se vna, altera in altiolem assurgit tonum, & sic tota interturbatur harmonia, vbi concordia non est constantia. Non igitur putidè conqueramur posthac, tam diuersis hominum genijs & conditionibus quòd conuiuamus; ita certè fieri vt videtis oportuit. id tantum agite, quod, vt non turberimur hominum à nobis dissidentium vitijs, opportunè monet Apostolus, *Alter alterius onera portate, quæ euitare non potestis, & sic adimplebitis legem Christi.* Deique sic ordinantis omnia, voluntatem.

15.

Iob 14.

ad Gal. 5.

S. II.

*At inquires diuersitatem illam indolis, conditionis, & geniorum Deus inter homines inducere non debuerat. Proponitur obiectatio: omnia scilicet equaliter diuidi debuisse.*

*Omnia in-  
commoda  
cessarent,  
inquires, si*

**I**llud quidem tandem fateor, inquires, hominum tam diuersæ fortunæ cum iam sint, tam varia corporum, animique constitutio, tanta morum, sanguinis, ingenij varietas, eos inter se misceri

16.

ceti



ceri debuisse, neque seorsim habitationem suam cuique generi debuisse assignari. Tamen difficultati occurrere potuisset Deus: occurisset autem, si eam quam inuexit hominum varietatem, conditionisque differentiam non statuisset.

*Deus omnes homines fecisset pares & similes.*

17. Quantum audio, rursus tu Deo consilia vis porrigere, & arbitratus in manum dare. An ergo, ea quam precedenti sermone instituiamus, tibi tam bene cecidit ex sententiâ consultatio, ut rursus audeas aperire os? De diuitiarum solâ diuisione agebamus; neque id potuisti rectè decernere, malisne solis & omnibus, an solis tantum & omnibus essent tribuendæ bonis. Quod verò de diuitijs tunc dicebamus, id eodem planè iure de naturæ dotibus, corporis inquam valetudine, rectâ membrorum conformatione, sanguinis temperie, viribus, venustate, iudicij præstantiâ, morum æquabilitate; item de animæ constitutione, ut puta ingenij acumine, affabilitate sermonis, animi alacritate, quæque hæc omnia consequuntur, honore, munitiorum dignitatumque præstantiâ, intelligendum est. Illud igitur maneat, pro ut præcedenti Tractatu decisum est, hæc omnia neque malis solis consequenda, neque denegandâ etiam omnibus: rursus neque bonis omnibus dari omnia, neque etiam omnibus subtrahi debuisse. Nimis enim grauiâ ex illâ diuisione orientur incommoda; quæ quidem omnia & singula, his quas commemorauimus corporis, animique dotibus diuidendis, palam est etiam intercessura. Igitur neque malis & solis omnia, neque bonis aut solis aut omnibus, rectè potuere aut detrahi aut dari.

18. Quid igitur faciendum fuisse censes tu, qui huic, quàm iam videmus diuisioni, non acquiescis? Illud quod solùm restat iniquies: omnes tum fortunæ, tum corporis, tum animi dotes, singulis æquâ portione, diuidendas esse statuo. Equales qui sunt iure & naturâ, æqualibus etiam naturæ ut fruantur bonis, æquum iustumque esse sentio. Hæc si præstitisset Deus, poterat autem nullo impendio, Deus immortalis qualem habuissemus orbem, quàm modestum, quàm pascificum! quàm quietam duceremus vitam, si sufficientes cuiuslibet essent opes! quisque suo viueret, nec inhiaret alieno admodum; senatorum subsellia litigantium vocibus non perstreperent; non exaudiretur martius bellorum fragor; nec inuidentium fortunis alienis importunæ querimoniæ cessaret iniqua contrahentium fides; iurgia non essent aut per-

*Recensetur incommoda quæ sunt cessura.*

iuria; denique deterfus foret, alienis opibus inhiantium, infanus labor. Suo quisque dimensio, eoque sat liberali contentus viveret; & hoc demum esset vivere.

*Et commoda que inde oriuntur.*

Quod si præterea, vti maxime cuperem, omnes essent ingenio acuto & ad percipiendum facili, corpore sano & formoso vultu (& quid ni esse poterant) humorum sanguinisque constitutione temperatâ, animo alacres, moribus candidi, & ad amœnitatem facti, affabiles, comes, humani denique & ad communem societatem nati: quanta tum demum esset mortalium felicitas, vita quàm iucunda! communis esset vita & amor omnium: paradisius certè foret miserum hoc exilium, quod quidem faciunt esse longè miserimum tam sibi infensi genij, & inter se tam discrepantes mores. Iam verò omnia confusa cum sint, quid demum est humanum commercium, nisi merum Chaos? cui minus rei est, plus est invidiæ; aliena rapit qui de suo pauper est: mortem quin imò etiam parentum aut optamus, aut acceleramus, eorum futuri hæredes: amorem vagum circumferimus, & odia transportamus, prout diuersa hominum occurrunt aut formæ aut ingenia: modò benè, malè modò cum amicis conuenit; modò oneri sunt, modò voluptati; modò gaudij præstant materiam, modò tristitiæ. Taceo cætera incommoda numero infinita, perpeffu difficillima. Hinc exacerbationes animorum, hinc tædia, hinc tumultus, hinc perturbationes. Quæ quidem omnia quasi planâ detergerentur manu, nusquam si dispar esset conditio, omnes autem si naturæ fortunarumque æquali portione fruerentur. Id autem præstare cum potuerit Deus, cur iam tantam inæqualitatem inuexerit, id sanè non video. Non vides? facile crediderim; occupat enim tibi cerebrum, hoc ipsum quod detestaris, opscrum chaos.

*Refutatur hæc sententia duplici ratione.*

Adesdum itaque maleferiatum caput, cum tuâ putidâ sententiâ. Paradisum tum denique futurum hunc orbem reris tu, cum tuo confitus, & in ordinem digestus fuerit arbitrio? at ego id pugno, non merum chaos tantum, sed & inferno proximum futurum hunc orbem; cum denique fore, quem describit Iob, *terram miserie... ubi umbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.* Assero itaque nusquam Diuinæ suæ Providentiæ admirandas *inventiones*, vt rectè eas vocat Dauid, præclariùs & euidentiùs ostendisse, quàm in eâ tam dispari Bonorum

19.

20.

Iob 10.

psal. 76.

v. 13.

rum

rum omnium, ingeniorumque inæqualitate, & tam concordi  
geniorum discordiâ: illam verò fuisse prorsus necessariam, pri-  
mò quidem ad totius humani generis conseruationem, vtpote si-  
ne quâ discordiâ mundus non staret: deinde verò ad salutem æ-  
ternam mortalibus procurandam. Fidem mihi denegate, vtrum-  
que donec planum fecero & euicero.

## §. III.

*Ostenditur sine maximâ opum fortunaque inæqualitate, genus  
humanum, licet condi potuisset, conseruari non potuisse.*

21. **A**Tque vt primum ordiamur caput; an non id cuique perspi-  
cium est; quod sicut in microcosmo, humano inquam cor-  
pore, varia necesse est esse membra, & situ, & magnitudine, &  
præstantiâ, & officio admodum inter se discreta, toti tamen  
corpori, aut alendo, aut sustinendo, aut dirigendo, aut promo-  
uendo inprimis necessaria; ita planè megacosmum, magnam  
hanc generis humani communionem, & quasi corpus ingens, ex  
diuersis admodum constare partibus, quasi membris debuisset;  
vt non ipsa tantum sibi constet vniuersitas, sed & singulæ con-  
seruentur partes? satis enim constat, vbi toti corpori male est,  
singula etiam membra protinus diffluere. Verum hisce non in-  
hæreo; res in confesso est.

*Non enim  
potest con-  
seruari ge-  
nus huma-  
num, sine  
magnâ  
municipum  
et officiorum  
varietate.*

22. Iam verò, cur Deus tantam inter homines conditionum dif-  
ferentiam inuexerit, cum me importunus interroges, sanè cum  
D. Theodoretò & quidem eius verbis, *Et ego te quoque libens in-  
terrogauerim, cur non omnibus corporis nostri membris, vnâ  
eandem vim, rerum opifex indiderit? sed oculis quidem colorum  
figurarum iudicium commisit: auditum verò, vocum & sonorum  
discrimina cognoscere voluit?* Et ita de reliquis deinceps membris  
statue & loquere. Quod si rursus interrogem, cur stomacho in-  
cumbat cibos coquere & digerere, ori masticare & mandere, cur  
non & stomachus oculus sit, & os, & manus, pedesque: denique  
cætera membra, cur non sint oculus, cum facile in similem fa-  
bricam potuerint efformari? illico responsio tibi ad manum est,  
plura ad humani corporis constitutionem requiri, quàm vt tan-

*Quod pro-  
batur ex  
varietate  
membrorum  
in corpore  
humano.*

Theod.  
Orat. 6.  
de prou.

tum videat : audiat enim, tangat, olfaciat, gustet, phantasietur  
 necesse est; ad quæ præstanda non sufficeret, si totum corpus ef-  
 set oculus. Et verò, oculo quis alimenta, quis spiritus præstaret,  
 nisi in corpore esset stomachus? quis eum ad plura videnda cir-  
 cumferret, nisi pedes forent? Idcirco tam diuersa corpori mem-  
 bra dedit sapientissimus artifex Deus, quia vnum tam multis ex-  
 ercitiis non sufficit : neque verò, nisi alterum alteri præsto  
 sit, vllum profecto, vt diu sit, sufficit sibi ipsi. Quod si autem di-  
 uersa debuisse esse corporis membra fatearis, toti corpori vt be-  
 ne sit; superuacaneum sanè erit quærere, cur vnum alteri ma-  
 gnitudine præcellat, cur robustius, cur infirmius; cur vnum al-  
 teri situ, & pulchritudine, & mollitie, & decore præstet; nam si-  
 ne hæc circumstantiarum varietate, nulla erit membrorum dif-  
 ferentia, quàm tamen fatebare corpori, oppidò necessariam.

*Applica-  
 tur com-  
 paratio toti  
 hominum  
 communi-  
 tati.*

Auditores, eandem planè, quam in humano corpore, in totâ  
 humani generis machinâ conseruandâ & dirigendâ, Prouident-  
 iæ vim exhibuit sapiens Deus : eadem prorsus est, sed hic ad  
 plura extenditur, isthic ad pauciora contrahitur. Constat certè  
 vnum sine altero hominè, nec multùm nec diu posse subsistere,  
 nequidem vt corpori necessaria sufficiat : adeo miser est homo,  
 cum solus est homo. Communicatione viuimus, communicatio-  
 ne subsistimus. Pane vt vescamur, terræ mandanda sunt semina :  
 terra vt proscindatur, cudendus est vomer : excussum triticum  
 molâ terendum est : pinsendus panis, committendus furno, fur-  
 nus ipse construendus ; texendi sunt panni quibus tegimur ; scin-  
 dendi vt corpori conueniant, consuendi ne diffluant : con-  
 struendæ sunt ædes, quas tu præterea instructas vis tapetijs &  
 picturis adornatas : per varias mundi plagas instituenda sunt  
 commercia, vt à varijs terræ partibus, singulis benè sit; nec enim  
 omnis fert omnia tellus : tradendæ sunt scientiæ, & quidem va-  
 riæ, vt iris floreat respublica : expedienda arma, quibus contra  
 incumbentium hostium ferociam defendatur. Alia infinita pro-  
 pmodum sunt eiusmodi, planè inter se distincta munia, quæ  
 tamen, vt rectè & commode viuamus, penitus requiruntur.

*Non esset  
 autem ea  
 muniorum  
 diuersitas,  
 si non esset  
 diuinitarū  
 disparitas.*

Iam verò, quis non videat vnum hominem tot tantisque re-  
 bus parem non esse, nisi ab alijs adiuuetur? An fortè tu seruilia  
 quotquot sunt, addiscere vis artificia? etiam tonstrinam agere,  
 calceos consuere, & exercere veteramentariam? & licet in hæc  
 arte

23.

24.

arte expeditus esses & eximius, an etiam panem pinferre, lateres indurare, calcem subigere, muros ad libellam erigere, cœmentariam agere tibi adlibeat, vt domum solus tibi exstruas? & si lubeat, an tibi ad tam varia satis esse temporis, putas, imò virium & industriæ? certè ego me illis sordibus non immergerem, inquis. Quid? diues forem & opulentus quantum satis: & an bonis non fruerer ego commodisque, quæ fortuna, & Deus erogarit? amens sim si id non ago. Itaque seruilis isthæc opera, aliis facienda demandarem; locarem operas, mercedem darem largiter: pecuniæ, vt scis, obediunt omnia. Næ tu planè deridiculum es caput! an fortuna tibi cerebrum ita dimouit, vt sententiæ quam tulisti memoriam excusserit? certè non te tantummodò diuitem, sed cæteros omnes, diuitiis confimiles tibi esse oportebat meminisse te, & quidem tuâ ex sententiâ. Quò pacto igitur tibi laborare vis eos, qui tuò minimè indigent? pares tibi diuitiis cum feceris, obsequio, laboreque cur tibi vis esse impares? & vt velis, quomodo id tandem impetrabis? Lepidè id pertractat Theodoretus. *Quo pacto, inquit, denique omnes æquales cum sint, & omnes opibus abundant, necessariorum inopiam, & usum homines sarcient? aut quis sic eadem cum reliquis abundantia instructus sit, alteri seruire volet? quis inquam igni assidere, obsonia parare, quis item panes coquere, & molâ triticum contere, nisi inopiâ & egestate cogatur, sustinebit?* Itaque si omnes æquè diuites, nemo alteri laborem præstabit vllum; te igitur & omnes colere artes, omnesque tibi ipsi exercere necesse est, vt viuas, non dico lautè & opiparè, sed miserè quoque & frugaliter. tu tibi sis omnia vnus necesse est, cum omnes vrum facis.

Theod.  
sup.

25. Essent inquis, qui diuitiarum amore ducti, lucrandi studio operam suam facile impenderent. Fateor; at si lucentur nummum illi, tu verò nummum erogas, an non id vides, illico ditio- rem futurum illum, pauperiorem te? igitur sublata rursus foret, quam tu tantopere commendabas, diuitiarum opumque æqualitas. Certè memorem decretorum tuorum oportuerat esse te: omnes volebas esse æquè diuites; & dum piger esse vis, ditiores alios facis, tuasque ipsemet leges infringis primus. Quòd si sic & alij agant, nonne quantocyus in orbem inducetur, quæ modò viget, diuitiarum inæqualitas? quid ergo incusas Deum, ob id, quòd ne tuis quidem, quas condis, legibus poteris euitare?

C c

Necdum

Necdum caput demittis, vir bone, & sententiam? minimè 26.  
 inquires; nam concordiam inire possent homines, sic vt vnus al-  
 teri præsto sit; idque liberaliter, nullâ nec pactâ, nec datâ mer-  
 cede. Ceritum tibi cerebrum est vt video, & quid quæso obse-  
 quij alteri præstare tu ipse velles, labore improbo, mercede nul-  
 lâ? Ego inquires alteri obsonabo; sit ille mihi à pedibus, imo &  
 à calceis. At vero eodem iure, feruilia quæque officia à te exiget  
 alter ille, lautè & opiparè obsonaturus tibi, calceos ipsi cum con-  
 feceris, aut colendo hortum, sudore penè cum diffluxeris, Quid  
 dices? quid repones? iure ages; at apud quem? interim si pro  
 pinfendo pane instituitur ista concertatio, timeo ne fame pere-  
 atis ambo, antequam lis ista decisa sit ad liquidum vter alteri  
 pinfat panem. Stultum est planè & ridiculum, eiusmodi senten-  
 tias mordicus velle defendere. Fateri id quod res est, diuersa  
 debere esse & officia, & munia, & artes artiumque exercitia, vt  
 genus humanum stet; neque diuersitatem illam primò induci  
 potuisse, nisi fortunatum inter homines esset, & quidem ingens  
 inæqualitas,

## §. IV.

*Expenditur quanto artificio, tantam munitiorum differentiam,  
 inter homines inuenerit Deus. atque hinc euincitur, ingenio-  
 rum & inclinationum tantam varietatem planè fuisse orbi  
 necessariam.*

*Expenditur  
 quanto ar-  
 tificio mu-  
 niorum di-  
 uersitatè,  
 hominum  
 communi-  
 tati eâ ne-  
 cessariam,  
 inuenerit  
 Deus.*

AT verò, quis non obstupescat artem eximiam, quâ Deus, 27.  
 nunquam satis admirandam illam varietatem, orbi tamen  
 tam necessariam, inter homines nihil eiusmodi cogitantes in-  
 duxerit? Consideratione sanè res digna est, vt artificis indu-  
 striam admireris. Pace igitur tuâ Magne & sagax Deus, cum  
 Dauide *Meditabor in omnibus operibus tuis, & in adinventioni-* Psal. 76  
*bus tuis exercebor,* quas nemo inuenire poterat nisi tu: in iis au-  
 tem considerandis exercebor, vt ea dum obstupear, iis etiam ac-  
 quiescam.

*Sic tamen  
 vs liberta-  
 ti vim non  
 inulcrit.*

A te ergo incipio importunè Censor, qui omnes, quotquot sunt 28.  
 homines eiusdem genij, & ingenij volebas esse. Annon, vbi tan-  
 ra

ta officiorum studiorumque requirebatur differentia, etiam ad diuersa propendentium studia, ingens exigitur corporum varietas, & animorum aliter atque aliter affectorum inclinatio? vbi singuli agunt omnia, nihil agitur, vt modo ostendimus: vbi singuli agunt singula, expediuntur facile omnia. Itaque necessarii sunt quidam, qui manu laborent, quidam qui ingenio, quidam qui vtroque: quidam qui seruilia pertractent opera, quidam qui artibus sese dent: quosdam militia, quosdam scientiæ requirunt; & hos quidem variæ rursus varios: quosdam rerum diuinarum, quosdam reipublicæ exigit procuratio. omnes sunt necessarii, nemo non requiritur. Quod cum ita sit, illud etiam liquido constat, eum qui laborat manu, studiis non posse incumbere; nec qui se dat studiis, eum seruili operi adiuuere posse manus, non ferrum cudere, non naues per maria deuchere, non Martem sequi. Quid igitur consilij, vt tanta habeatur inter eos qui naturâ pares sunt, disparitas? homines vi cogere, & singulos & omnes, id quidem est adynaton; & vero etiam libero arbitrio, cui vis adhiberi non debet, planè contrarium. En vt hâc sese difficultate expediat, is qui scientiâ suâ, *Attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.* Fortiter, quia quod sibi beneplacitum, certò exequitur; suauiter, quia libertati humanæ vim non infert, eâ dum vtitur. Attendite si placet *adinuentiones Dei.*

29. Subtrahit primò opes, & corpori necessaria quibusdam, quibus alios locupletat. hos verò, sibi cum soli non sufficiant, diuites licèt sint, ab aliorum operâ vult pèndere. pauperes itaque, corpori suo vt prospiciant, diuitiasque, quibus carent, quarant; quantocyus ad artes, obsequia imò & seruitia liberè ac volentes applicant animum, vt ea, quibus indigent, ex potentiorum manibus emungant & eliciant; sicque dum necessitati quisque suæ, aut etiam cupiditati dum obsequitur, seruitur vniuersis & quidem liberè. Incredibilis profecto providentiæ fuit, illa in orbem inuecta diuitiarum inæqualitas, per quam fit, vt dum differimus singuli, stemus omnes. Dum tu diuitiis alios, sanè alius robore, arte alius & industriâ te superat, quòd si itaque diuitiæ tuæ necessariæ sint illi, cui vita est opera; certè illius tibi opera est necessaria, sine cuius operâ tibi non stat vita; aut si stat vita, saltem non tam commodè. Quod si clientes, seruos, minorisque

*Diuersitatem hanc inuexit, primò per diuersitatem diuitiarum.*

fortis homines, videris principum vitorum atria, necessitatis aut gratiæ conquirendæ causâ obambulare, sanè & ego non semel vidi principum deauratas rhedas, præ foribus tabernarum stare, & vel necessaria coëmi, vel etiam prensari manus. Sic fit; nemo non eget, utcumque diues sit; & tam indiget Rex pistore, quàm pistor Rege. Quàm parum id attendit humana superbia! quàm facile is cunctos despicit, quò multi egent! quasi verò non pluribus indigeat. Quid igitur superbis homo, quid caput erigis? opulentus es, fateor; in dignitate constitutus es, ita fit; multi à te dependent, tu vicissim à plurimis, multi sine te parum possunt, sic est; sed tu sine multis, nihil. verùm his non inhæreo. Prouehenda est diuinæ industriæ consideratio.

*Deinde eū  
ea diuersitas  
sola nō  
sufficeret,  
inducendo  
varias in-  
clinationes  
animi.*

Cum itaque diuersa planè artium, studiorum, scientiarum adminicula orbi essent necessaria, non satis visa est sufficere tantæ varietati obtinendæ diuitiarum sola inæqualitas, ut alia quisque & alia sibi defumeret exercenda officia, etiam lucri causâ. Quid enim? si quisque ad vnum aduertat animum? si omnes quotquot sunt ad laborandum applicent manus, ut victum comparent; vbi tum futuræ scientiæ? si omnes studiis incumbant; vbi tum futuræ operæ, vbi milites, vbi artifices? omnes igitur pecuniâ allecti, vnum tantum si velint agere, perdita rursus est res humana. Verùm huic incommodo prospexit prouidus Deus. Inclinationes itaque animorum varias, naturæ inseruit artifex summus. aliis quidem subtiliorem submisit sanguinem; cogitationes exinde altiores, generosioresque spiritus, quibus ad præstantiora quædam supraque vulgus, euecti quasi à naturâ, aspirarent; aliis autem indolem cum sanguine inseruit crassiorem, tardioremque, quò sese humilioribus contenti, abiectionibus etiam libentiùs, quasi ad maiora inepti applicarent; mediam inter hos indolem aliis indidit, quâ nec nimium phantasmatis elati, nec etiam depressi nimium, medium tenerent iter; artibusque & scientiis vulgo expetitis, mentem aduerterent, iisque demum & non aliis exercendis, à victus necessitate, aut etiam diuitiarum cupiditate allicerentur.

Et quamuis ingenita indoles, animi dotes, & ad diuersa studia diuersæ inclinationes innatæ, consuetudine & familiaritate malignâ sæpè deprauentur, aut mutantur, sæpè etiam alienò exemplò præsertim domesticò excitentur; sæpè etiam vitiò nostrò

30.

31.



strô deprimantur, aut studiô virtuteque erigantur & emendentur; tamen ex variâ humorum, phlegmatis, inquam, & melancholix, sanguinis item coleræque admirabili permixtione, geniorum varietatem, quæ inter nos est, originem suam ducere, experientiâ teste sit certissimum. Ex varietate verò geniorum in diuersa propendentium, illico tam varius, aliud atque aliud agentium, existit ordo: *trahit enim sua quemque voluptas*: idque volupe est agere, quod ex genio agitur; quem si quis sequitur, suum arbitratum esse longè pulcherrimum, aut certè viribus naturæque suæ accommodatissimum: & sic parum sollicitus quid agant alij, agit ipse res suas, dum à genio suo agitur. Quod autem præter genium sit, non agitur aut benè, aut diu. Is verò agit id quod agit, qui id agit, quod, dum agitur, delectat. Et sic dum agunt omnes, omnes seruiunt, licèt ad id animum non aduertant; & dum seruiunt singuli, seruitur singulis, & benè est vniuersis.

32. Manifestum est igitur, non omnem omnium hominum indolem aut genium, communem omnibus eundemque esse potuisse, vbi tam diuersa requirebantur officia. Certè alia omnino phantasmata debentur militi, alia sanguinis temperies quæ audaciam ad perfringenda mortis pericula, viresque corpori sufficiat, ad militiæ labores perferendos: alia scientiarum studio, institoribus alia, alia tandem seruitijs & communi labore victitantium faci. Nisi fortè aut milites omnes vis esse, aut institores omnes; aut certè neminem suâ viuere conditione contentum.

33. Hâc ipsâ de causâ mulierum sexui, humano generi propagando imprimis necessario, aliam longè à viris indolem, aliud sanguinis temperamentum, excogitauit Deus. Longè illud dederit mollius, & suauius; non rigidum sed facile & flexile; non asperum, sed ad omnem misericordiam propensum. Hinc, si inconstantes, teneriores tamen habent fæminæ affectiones, vt tantò facilius liberorum amore tangantur & misericordiâ flectantur; teneritudo autem amoris, si humano generi defuisset, quantulum Deus bone nunc esset humanum genus! qui enim fieri potuisset, vt tam incredibiles, in liberis præsertim educandis, labores sustinuissent miseræ, sed vt sibi videntur felices matres? tanta tædia, tot vigilias, tot insomnia, tantam incediam,

*Sic mulierum corpus, & sanguinis compositio alia esse debuit, quam in viris.*

tam edaces curas, quò demum animò perfregissent, nisi hæc omnia deterfisset liberorum amor, quò delibutæ, non agunt modò quod agunt, sed agendo sic delectantur, vt non id agere, sit eis ipsã morte molestius? At quò pacto afficientur benè erga infantem, quem nunquam neque viderint antehac, neque cognouerint? interim à quo mala plurima sunt perpessæ; quique sæpè numero nihil habet admodum pulchritudinis quod delectet, multum verò deformitatis quod auertat; imò qui modo natus, clamore incondito, lachrymisque importunis, ægram adhuc à partu molestat matrem. Quã ratione, inquam, amabunt tam infæustum fœtum, nisi amor ille cordi, visceribus, & phantasiæ, ab altiori imprimatur manu, & quodammodo ingeneretur maternæ animæ? Rursus denique si sanguinis cerebrique temperamentum ijs tenerius, molliusque non sit, sic vt facile impressionem amoris suscipiat, & imbibat; sanè aut difficile admodum erit, ijs teneriorem hunc affectum indere; aut si indatur, facile etiam, vt in viris sit, redeunte ad naturalem statum, qui amore motus fuerat, sanguine, species illæ quæ teneram erga liberos affectionem faciunt, obliterabuntur & euanescent, & cum illis maternus amor.

*Hinc quidam aliquibus vitiis sunt obnoxia, sed que viri deberent necessitati condonare.*

Fateor quòd eam ob causam, molliori etiam sunt infirmioreque corpore, cerebro item teneriore, nec ad maiora percipienda aprè attemperato; rursus quòd iræ, tristitiæ, cæterarumque affectionum, præsertim subitarum impetus facillimè patiantur, facile etiam remittant. Sed quid ages? non omnia possumus omnes; corporis sanguinisque id secum fert constitutio. Eam autem requirebat liberorum progignendorum necessitas, & vt vidimus alendorum amor; qui nisi fuisset tenerrimus, nullus fuisset. Tener autem esse non potest, vbi sanguinis temperatura robusta est & aspera. Hæc si viri secum accuratè perpendant, patientur illi facile, quibus nimium exacerbantur, vitia in tenero fragilique sexu. Nimirum excandescentiam modò nimiam, tristitiam modò exorbitantem, sermones quandoque non admodò gratos, & porrò etiam intolerabiles. Fæminam certè cogitent, sic à naturâ constitutam. & licet vitia, ratione corrigenda sint, id tamen admodum est difficile, vbi vitia natura fert, aut si non fert, facile suscipit.

*Quod quidem etiam*

Verum ne mulierum tantummodo causam agere videar, vide

34

35

de nunc quæ ex hâc doctrinâ consequuntur. Ingeniorum enim, hâc de causâ, sapientissimè, tanta inæqualitas à Deo procurata est, vt paruo contenti nec maiorum capaces, vilioribus se minus acuti & hebetes, læti tamen alacresque impendant obsequijs. Ingenioso enim homini, præcellenti iudicio, cæterisque animi dotibus prædito, manum textrinæ admouere, aut nescio cui à pedibus esse, id sanè foret admodum intolerabile. Hinc ego rideo nonnunquam, stuporem hebitudinemque in seruis & ancillis, tam ægrè quod ferant terriçi quidam, nimiumque fastidiosi heri. Stupidos sanè hebetesque oportuit esse, vt serui sint; & vt quod sunt, sine tædio sint. Neque enim si ingeniosi sint, si acuti, ei volent obsequi, cui, si dotes spectas, debuerant impetare. Voluntarium itaque facit esse obsequium ingenij tarditas, quod violentum redderet sola victus conquirendi necessitas.

*in seruorū  
vniis locū  
habet.*

36. Deinde, robur viresque corporis inæquales esse, erat profus conueniens tantæ muniorem varietati inducendæ. Is enim qui validis est nervis, musculis benè compactis, toto corpore ad labores indurato, validiora arripit onera; maioris quidem lucrispe, arripit tamen ea & perfert, quibus alij sustinendo non sint; item, si tanti non sit ingenij, ea exercet, quæ licet maioris sint moliminis, minoris tamen sint industriæ: is verò, qui debilius sese corpus sortitum videt, facilioribus se impendit, aut ijs quæ plus ingenij requirunt. Sic qui ferrum cudere, cusumque in laminas deducere brachiorum lacertis non valet, digitos acui applicat, aut si industriâ valeat, etiam penicillo.

*Ex sangui-  
nis variâ  
temperie,  
varium in  
hominibus  
robur esse,  
necessè est.*

37. Tertio; cum ad hanc tantam officiorum diuersitatem, tanta temperamentorum distinctio esset necessaria, sanguisque tam variè miscendus, tantam etiam morborum differentiam exoriri erat necesse. Morbi enim cum nihil aliud sint, quam temperamenti dissonantia, humorumque inter se digestorum discrepantia; certè vbi variæ sunt consonantiæ, isthic mutatione aliquâ factâ, dissonantias esse varias oportet. Et sic, alijs videas morbis melancolicos, alijs colericos, alios alijs exerceri; tentis illos, hos acutis, diuturnis aliquos, subitis alios doloribus vrgeri; quæ omnia diuersam corporis humorumque compositionem liquidò consequuntur.

*Item alios  
atque alios  
morbos.*

38. Deinde, exinde oritur tanta etiam venustatis inæqualitas: oculorum viuacitas, aut obtusio; color roseus aut emortuus;

*Aliam de-  
nique atq;  
aliam cor-  
poris elegân-  
tiam.*

cutis

cutis leniter expansa, aut in rugas contracta; mollities carnis aut scabrities; hispidæ genæ, aut flabræ; vultus denique totus seuerus aut benignus; suavis aspectus & ad amœnitatem decorè compositus, aut ferox & ad horrorem factus. Hæc enim omnia variam illam humorum sanguinisq; iam defæcati, seu spirituum quaquauersus toto corpore peragantium varietatem, suo quasi iure comitantur. Quod quidem multis demonstrare non mihi foret admodum difficile, inutile tamen instituto sermone, vobisque fortasse non gratum. Sufficit id mihi, ostendisse me, quantum Deus sit vsus artificiò, ingentem hanc machinam, tam varijs, tamque necessarijs adiumentis vt instrueret. Quod quidem in eo maximè est positum, vt cum omnes agant diuersissima, omnes tamen ferè agant quæ volunt; & dum singuli, pro suâ libertate, in disparata abeunt, in hoc tamen omnes conueniant, quòd quisque sibi dum laborat, laboret omnibus. Quæ sanè vt haberetur difformitas tam vniformis, incongruè omnino dotes omnes tum fortunæ, tum corporis, tum animi, bonæ bonis omnibus, iniquæ verò solis malis fuissent dispersitæ; sed gratissimâ quâ modo fruimur varietate, promiscuè tradenda fuere tum bonis tum malis, ad totius vniuersitatis, quæ ex utròque constat ordine, debitam sustentationem.

Denique  
quia idem  
homo ad  
diuersa de-  
bet appli-  
cari, idcir-  
co variam  
habet in-  
moram cõ-  
stitutionis,  
et alius est  
in quo alius  
diuerso tẽ-  
pore.

Iam verò facile erit intelligere, cur hæc ipsa humorum temperamentique varietas, non in diuersis modò diuersa, sed & in vnò eodemque prorsus homine variò tempore tam varia reperiatur. stupenda est res, sed ratio in promptu. Cum enim non vni tantum officio, aut actioni destinatus esset homo, sed ad varias, plurimumque discretas inter se; sanguinis quoque temperiem, ex quâ animi ad diuersa studia actionesque inclinantur, ijsque exercendis aptantur, variam esse atque diuersam prorsus fuit necessarium. Alia infantes agimus, alia pueri, alia iuuenes: Cum enim firmari adhuc debeat corporis imbecillitas, & in maiorem molem excrecere; sanè rebus agendis, quæ sint seriæ, impendi non debuit puerorum sanguis, qui ex hoc exsurgunt spiritus. Ij in virili ætate aut filiorum procreationi & educationi, aut studijs aut artibus, alijsque rei aut domesticæ aut etiam publicæ, negotijs impenduntur; quorum omnium fructus in senectute satis malignè dum capimus, disfluente paulatim corpore abimus, alijsque locum damus. Cum autem imbecilli-

tas

tas nostra tanta sit, vt non semper liceat arcum tendere, modò negotijs agendis vires intendimus, modò relaxamus; modò laborandum est, modò quiescendum; modò colenda erga Deum Religio, modò erga afflictos pietas; modò nostra, modò aliena, modò publica, modò priuata, agenda est caussa; modò in iram insurgendum est, vt malis fortiter nos opponamus; modò in mœstitiã flectendus animus, vt doloribus medeamur alienis, aut nostros perferamus. Quæ cum tam multa sint, & tam inter se discreta, benè sapienterque consuluit huius fabricæ constructor Deus, vt & mutationi sanguinis & humorum, imò aëris & ætatis, hoc corpus subiaceret; aliasque atque alias tum vires, tum inclinationes, prout res gerendæ ferrent, animo subministraret.

40. Neque rursus aut aduersam fortunam semper pati, aut etiam semper prosperâ gaudere homines voluit; nec paupertate incommodisque vrgeri semper, neque etiam diuitijs lautitijsque affluere; nec hilaritate semper efferri, nec mœstitiã semper deprimi, aut omnes prorsus homines aut etiam singulos. Verùm hæc omnia promiscuè distribuens diuersis, & diuerso tempore etiam singulis, iucundissimam hanc, ex tam vario concentu, composuit harmoniam. Vnus quidem *Bassum* seu musicæ inferiorem partem intonat, dum alter *superiorem* occinit, superioremue agit partem; alijs interim medios tonos exprimentibus; & sic vna fit ex tam dispari concentu concordia, per quam totius vniuersitatis stat musica; neque facillè quis partes singulas rectè distribuet, nisi qui totius auctor est harmoniæ.

Et aliam  
atque aliã  
patitur  
fortunam.

## §. V.

*Tantam conditionum, fortunæ, ingeniorum, & officiorum mutationem & varietatem, salutis nostræ conducibiliorem esse ostenditur.*

41. **L**iquet igitur varietatem hanc tantam ingeniorum, fortunarumque, & quod inde sequitur, officiorum, conditionum imò & fortis, modò euetæ, modò humilis, modò prosperæ, modò aduersæ, orbis sustentationi imprimis fuisse necessariam. Verùm

Varietas  
hæc etiam  
saluti æter-  
næ procu-  
randa fuit  
conducibi-

D d

fi &amp;

liors infeli-  
citati enim  
perpetua  
succubuis-  
set natura

si & eam salutis nostræ æternæ maximè conducibilem videri-  
mus, Deus bone quanta nobis hic sese offeret diuinæ Bonitatis  
Prouidentiaque admirandæ, & vero etiam laudandæ seges? Id  
ergo ostendamus modò. Nolo autem eam partem demonst-  
randam assumere, quâ probandum esset, non debuisse homines  
semper deprimi, semper affligi, semper laboribus & quidem gra-  
uissimis implicari: id enim omnes mihi facillè dabit, & verò  
natura pro me stat, non enim ideo natura fuit condita, vt ei  
semper malè sit; quòd autem iam ei malè sit sæpissimè, id verò  
naturæ sese deprauantis vitium est, non auctoris.

Felicitatē  
vero per-  
petuam nō  
tulisset, sine  
Numinis  
contemptu  
& obitio-  
ne. patuit  
id in Ada-  
mo felice.

Illud præcipuè declarandum est, totam vniuersamque natu-  
ram non semper debuisse commodis, felicitateque frui, quòd  
quidem ostendere est perfacile. Nam si deliciis, commodisque  
corporis omnes, & quidem semper abundassemus; miseros nos!  
quò tandem deuenissemus? in quam non, Deo rebelles, proru-  
pissimus audaciam? An enim feliciorē, magisque naturæ  
consonam conditionem sibi quis possit effingere, quàm quæ pri-  
mis obtigit parentibus? & tamen quid non sunt ausi! quàm ci-  
tò conditoris reuerentia ex animo nimis fortunato, dolorum-  
que adhuc ignarò effluxit? Diaboli commentum id fuit, in-  
quies. Ita sit, verum vt acutè Chrysoströmus: *fingamus nihil  
Diabolum consuluisse, nihilque penitus Eue de ligno locutum fuisse;  
num sine peccato perstitisset, si id ita non contigisset? Minimè verò;  
nam cui mulier tam facillè quòd volebat persuasit, ipse, etiam diabo-  
lo absente, ex se ipso quamprimùm in peccatum corruisset; quo maio-  
ri quoque pœnâ mulctari debuisset. Id verò pulchrè probat. Nam  
qui tam facillè, inquit, propinatam sibi ab altero deceptionem susce-  
pit, is profecto & negligentis & laxi affectus fuisse ostenditur. hinc  
ei, legem à Deo imponendam, eaque coërcendum fuisse docet.  
si enim Adam voluntate & animo tam negligenti, prout fuisse  
ostenditur, nullum suscipiat mandatum, sed in deliciis & securita-  
te persistat; ex huiusmodi licentiâ, imbecillitas tanta atque negligē-  
tia, ad meliorē an ad deteriora prorumpet? liquet profecto illum  
ad summum fastigium vitiorum euasurum, si absque curâ sit. Nam  
si necdum de immortalitate securus, eamque spem dubiam pendere non  
ignorans, in tantam arrogantiam atque amentiam est elatus, vt  
Deus fieri speraret: istudque cum id promittentem (Diabolum) nullâ  
ex parte filelem cernebat: si firmam & securam immortalitatem*  
(nempe

42.

Chrysostr.  
l. i. de  
Prouid.

(nempe corporis) consecutus fuisset, quò non progressus esset arrogantia? quid non peccasset? quando ille Deo obtemperasset? Ita sapientissimè aureum illud os. Infelix iuit Adam, quia nimium diu felix; & tamen eheu quàm paucis diebus felix fuit! Quid optabilius amicitia & concordia? & tamen ea Adamum inter & Euam nimia fuit: ita enim amor ille emolliuerat viri animum, vt vxori ne displiceat, Deum non vereatur offendere. Utinam importunitate sua, non nunquam bilem marito Eua concitasset! utinam iurgiis fuisset turbata pax domestica! certè non adeo timuisset vxorem offendere, offensus ipse aliquando.

43. Verùm an te Adamo sapientiozem futurum fuisse existimas? *Imò & in infelicissimo Caino.*

Gen. 3. Tu illo sapientior, Adami infausta proles: liquet hoc profectò in tibi prorsus simili Cainò. Ne patris quidem exemplò doctus sapuit. *in doloribus pariebat filios infelix mater, & in sudore vultus sui vescebatur pane exul pater, sicque sceleris sui pœnas miseri dabant.* interim quid non egit impudens filius, vt documenta daret quàm esset origine natus? Iam illud vrgeo cum Chryso-

Chrysoft. Ibidem. *mo. Quid non fecisset Cain in paradiso degens tantisq; deliciis fruens, quando his omnibus priuatus, patrisq; supplicium ante oculos habens, ne sic quidem emendatus est: in tantumq; ineptia prorupit, vt homicidium ipse primus inuenit, ausuq; nefario impleuerit?* quid ad hæc generis tui prima exempla respondes infelix homo! An tibi aurea pollicenti aut credam ipse, aut tu etiam credes tibi? Adam

Ibidem. felicitate suâ spoliatus est, teste Chrysoftomo, *quia ex honore sibi prestito deterior effectus esset, si post spretum violatumq; mandatum, immotus ille stabilisq; durasset: & tute in Dei obsequio perseveraturum credis, si omnia tibi forent fausta & felicia?* Longè sanè alia de humano genere, in tertiò Scientiæ conditionaliū, quod exposui, volumine legit Deus. idcirco laboribus, ærumnis, indigentia, & morbis subiecit hominem, vt spiritus indomitos compesceret; læta tamen intermiscuit, ne illi prorsus opprimantur.

44. Interim quid agimus adhuc quotidie? etiam miseri, in Deum tamen intrepidè insurgimus, flagellantis manum non expauescimus: quò demum non impudentiæ prorupturi felices nulliusque opis indigi? Rectè telum hoc intorquet, aureum os, *si enim bis addisti, scilicet labori & dolori, ne sic quidem peccare desistimus;*

Chrysoft. Ibidem.

mus, quò scelerum progressa non esset audacia nostra, si nos affluere deliciis & otio constituisset Deus? omnia enim mala docuit otiositas. Quis tunc Deum esse meminisset, cuius iam omnium egentes, infelices, & miseri non recordamur, nisi, quod pessimum est, ut eum offendamus? Felices & supra communes hominum miseras euectos, diuini Numinis contemptores esse videbat, & deplorabat Dauid: atque illico rationem tantæ impudentiæ at-  
*in laboribus, inquit, hominum non sunt, & cum homini-* Psal. 71.  
*bus non flagellabuntur: ideo tenuit eos superbia, operti sunt iniqui-*  
*tate & impietate sua, prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum, tran-*  
*sierunt in affectum cordis, posuerunt in celum os suum.* Verùm id  
 probi non agerent, inquis, sic est, si probi esse perseuerent. Adam  
 nonne probus erat, cum felicitatem suam ferre non potuit? sed  
 felicitas diu probum esse non permisit. Et tu ipse, nonne tunc  
 deterior, nonne tunc maximè Dei incurius es peccatisque ob-  
 noxius, cum in labore hominum non es, cum corpori genioque  
 bene est? Quid hæc disputamus? euidentis est experientia quoti-  
 diana; deploranda planè res est, non autem reuocanda in du-  
 bium.

Et vero an non vides, in terrenas tandem, & cælestium inane- 45.  
 nes animas, degeneraturos nos, si nihil nisi quod volupe est, ni-  
 si quod delectet, hæc terra mortalibus suppeditaret. Quis calum  
 suspiraret, si hic sua vota, compleri prorsus omnia, homines è  
 terrâ nati perlentiscerent? En ut adhuc modò, vbi habitatio-  
 nem habemus tam miseram, & incommodam, ei tenaces mor-  
 dicus in hæremus, allecti nescio quâ felicitatis umbrâ? *O mors!* Eccles. 4.  
*quam amara est memoria tua, homini pacem habenti in substantiis*  
 *suis; viro quieto, & cuius via directe sunt in omnibus? Nihil hic*  
 *admodum dulce est & commodum, quod non felle & quidem*  
 *amarissimo sit conditum; diuitiæ plenæ curis & sollicitudine;*  
 *amores zelotypiâ inuidiæque pleni; coniugia plena fastidiis; cor-*  
 *poris voluptates plenæ morbis, & doloribus; dignitates plenæ*  
 *insomniis, suspicionibus plenæ & ipsâ inconstantia timendæ; &*  
 *tamen stulti amaroribus his in hæremus, diuinorum immemo-*  
 *res, æternorum gaudiorum prorsus incurij. Quòd si autem ea quæ*  
 *hic sunt, peritura quamuis, seseque possessoribus etiam inuitis*  
 *ereptura gaudia, quietè diu datum fuisset possidere; timeo certè,*  
 *ne Deo valere iusso habereque res suas, in illas demum impias*  
 voces



45. voces erupturi fuisset; *Cælum celi domino, terram autem dedit filiis hominum*: cælum deinceps habeo, ubi mihi vita cælum est, & terra paradus. sed satis iam sit.

46. Illudque demum concludamus, sapientissimâ sanè ratione, dotes tum corporis, tum animi, tum fortunæ, ex quibus omnis felicitas existit, hominibus tam inæqualiter Deum distribuisse: quod quidem omnino sic ei faciendum necessariò fuit, ut totum humanum genus, tam in naturæ, quàm in gratiæ statu conseruaret; neque enim felices, aut omnes aut semper hic esse poterant homines, æternum felices ut forent.

*Optima itaque ea diuersitas.*

47. Secundò, modum etiam quò distributio facta est, esse pulcherrimum; neque bonis omnibus, & solis danda bona omnia, neque improbis omnino deneganda. Nam præterquam quòd longa felicitas, bonorum fortasse fuisset ingens deprauatio, *Præterea* ut ait acutissime Theodoretus: *apertissimum defensionis campum haberent malitiæ operarij, si in hac presenti vitâ, solis iustis diuitiarum thesauros* (& idem est de omni aliâ dote iudicium.) *Judex ille distribuisset. Eadem enim, quæ ipsorum magister ac doctor* (diabolus) *contra Jobum locutus est, dicerent: quia tu circumuallasti interiora & exteriora domus ipsorum, frumentum & vinum multiplicasti eis. Sed mitte manum tuam, & tange quæcumque habent, nisi in faciem benedixerint tibi.* Quod sanè conuitium Deo sic impactum, foret omnino grauissimum: nec enim id ex Dei honore est, non habere quemquam qui sibi obsequatur, nisi quem quasi mercedè conduxerit.

*Diuersitas itaque inducenda modus etiam optimus.*

Theod.  
Orat. 6.  
de Prou.

48. Nunc verò, cum tam bona quàm mala, paupertas & diuitiæ, dignitates humilioraque officia, voluptates & ærumnæ, ingenia, conditiones, omnia denique tum malis, tum bonis promiscuè sint communia; nemo habet quod conqueratur, nemo quod Deo obijciat. Non enim improbi, quibus aduersæ fuerunt res, paupertatem domesticam, morbos, amicorum odium, coniugis inconditos mores, fortunam denique semper iniquam, sceleribus excusandis iure poterunt prætere: illico enim innumerabiles existent probi, qui diuini Numinis Majestatem defendant; utpote quibus aduersa fortuna, communisque imò & grauior paupertas, ad maioris sanctitatis culmen gradum fecerit. Neque rursus diuitias, dignitatum culmina, voluptatumque illecebras, sibi fraudi imò & oneri fuisse caussari poterunt, quasi

*Neque iam improbi excusationem habebunt improbitatis suæ siue felices fuerint in hac vitâ siue infelices.*

si cum illis diuinus cultus non subsisteret & cohæreret : sanè in-  
 numeri etiam cum sint viri , probitate omni , nec minùs etiam  
 opibus dignitateque conspicui ; obstruetur illis illico os , doce-  
 buntque suo exemplo, non mala fuisse illa, quibus cùm bene vsi  
 sunt, facti sunt boni.

Maneat itaque illud ratum, omnia benè à Deo esse distributa,  
 neque meliùs munera sua distribuere potuisse, tum si suam glo-  
 riam , nostramque salutem , tum si totius vniuersitatis humanæ  
 sustentationem spectet. Hoc tandem curemus nos, vt quæ rectè  
 in pondere & mensurâ nobis donata sunt, rectè ijs vtamur , re-  
 ctèque vtendo boni simus. Illudque identidem omnium bene-  
 factori , cùm gratiarum actione occinamus ; *Quàm magnificata* Psal. 109.  
*sunt opera tua Domine ! Omnia in sapientiâ fecisti : impleta est terra*  
*possessione tuâ.* O quando hâc possessione Cælum ipsum tandem  
 implebitur ! Quod bonum est in oculis tuis in cælo & in terra,  
 hoc fiat ; & cum volueris , fiat.



PARS III.